Robertus Burton ex Æde Chri:

OXONIENSIS ACADEMIÆ Funebre Officium

IN

MEMORIAM HONORATISSIMAM SERENISSIMÆ ET BEATISSIMÆ ELISABETHÆ, NUPER *Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginæ.*



OXONIÆ,

Excudebat Iosephus Barnesius, Almæ *Academiæ Typographus.* 1603.



SERENISSIMO POTENTISSImoq; Monarchæ, IACOBO, Angliæ, *Scotiæ, Franciæ, & Hiberniæ Regi, Fidei defensori, Domino ac Regi* nostro clementissimo.



ST aliquid pietas: sæpè inter gaudia fluxit
Vera per hæredis lachryma lapsa genam.
Tu quoq; florẽtes inter, Rex magne, *triũphos*
Cõcedes aliquẽ luctibus esse locũ.
Quæq; tibi ferimus Dominæ monimenta prioris,
Affectu socio carmina nostra leges.
Non vt lætitiam mœstum contaminet omen:
(Mœsta damus rapidis omina ferre Notis)
Non tua permisto careant nè gaudia luctu:
(Impermista malis gaudia semper habe)
Non quasi nos moriens sine spe liquisset Eliza:
(Vndiq; Spes surgit læta, Iacobe, *Tui)*
Sed quæ semper amans fuerat nostriq; Tuiq;
Digna eadem nostro *semper amore coli.*
Vnanimes studijs vixistis, sanguine iuncti;
Tu ceu frater ei, ceu soror illa Tibi:
Nunc quoq; (quæ sola est exangui gratia busto)
Virgineum memori nomen honore tenes.

 Quò

Quò magis et nostri, Rex, arbiter æquus amoris,
(Extinctæ tumulum quo veneramur) eris.
Carminibusq; satur varijs, plenusq; legendi,
Non tamen hæc spernes quæ tibi dona damus.
Sic dominæ quales veteri, dum vixit, eramus,
Imperio tales experiare tuo.
Sic tibi cum regnis nostrum quoq; firmet amorem:
Quæq; illi steterat, stet tibi nostra fides.
Sic tibi, si tandem *terris migrare* necesse est,
Plurimus in serâ *morte superfit honor.*
Sic proprio æternùm de corpore masculus hæres
Sit Tibi: qui cineres, & tua busta colat:

Maiestatis tuæ

humilimi atq; observantissimi alumni.

Procancellarius & reliquus cœtus studentium in Almâ Academiâ Oxon.

In obitum serenissimæ Principis Elisabethæ, Angliæ, Franciæ, et Hiberniæ nuper Augustissimæ Potentissimæq; Reginæ.

REX vt apum, dubio dum fingit, & ore refingit
Omne quod in ceris sedula ponit apis,
Nec valet aut inferre fauos, aut carpere flores;
Aut hortos penna sollicitare leui:
Sic ego Sollicitus, dum solus fingo, refingo,
Quas Regi laudes Attica cantat apis,
Nec valeo vel ferre tibi, vel spargere dignos
In tumulo flores Elisabetha tuo.
Sed decus & nomen nullo delebile fato,
Semper (Elisa) tuum, gratus in ore feram.

Ioh. Howsonus Sacræ Theol. Doctor Vicecan. Oxon.

SI pietas, virtus, si stemmata clara parentum,
Si quid in his terris, quod veneremur, erat:
Si decus imperij, si sceptra, et culmina rerum,
Si pudor, & probitas, flectere fata queant:
Omnia Reginâ natura locavit in vna;
Fortuna hic posuit, quod fuit, omne, suum:
Nil tamen ista iuvant, quin duræ spicula mortis
Senserit, & tristi funere mersa cadat,
Morte cadit Regina potens, clarissima stella,
Cura dei, mundi gloria, Gentis honos.
Elisabetha iacet crudeli funere mersa,
Splendor it in tenebras, gaudia luctus habet
Sic quia fata volunt, quia sic peccata merentur
Anglorum, et Parcæ sic voluere truces:
Nil tamen ista nocent, quia sole cadente Britannis,
Sol novus Arctôo est visus adesse polo.
Lux abijt, lux alma redit, descessit Eliza,
Rex novus exoritur, gentis et orbis honos.
Elizabetha iacet, gentis pia gemma Britannæ
Ecce novo rursus sydere cuncta micant.

Sic rota fortunæ; Phœben sic Phœbus Apollo,
Nubila sic solem, nox sequiturq; diem;
Tristia sic lætis miscentur, dulcia amaris:
Funera reginæ rex novus ecce beat.
Felix Elisabeth, quæ nunc super astra triumphat:
Cuius vita deus; morsq; corona fuit.
Felix illa parens patriæ, pietatis asylum,
Virtutis specimen, virginitatis honos.
Quæ tot quæsitis sine labe excelsa trophæis,
Victrix virgo virûm, cœlica regna tenet.
Nos miseri, varijs qui tempestatibus acti
Linquimur, vt medijs naufraga puppis aquis.
At vos Papicolæ, gens insidiosa Britannis,
Queîs pietas fraus est, relligioq; iocus,
Quos solio reges, sceptroq; movere Monarchas,
Cunctaq; pro libito volvere regna iuvat,
Dicite quid Papæ nocuerunt fulmina Elizæ?
Tot Salmonêa fulmina nulla manu:
Discite quam graue sit superis indicere bellum?
Dicite, quæ gemmam sæcla tulere parem?
Fœmina, virgo, hæres regni sine cæde paterni,
Quod suscepit ovans, salva reliquit anus.
Hoc tua (Christe deus magni dominator Olympi)
Dextera fecit opus; laus tibi, Christe deus.
Hanc tibi post Christum pacem gens Anglia debet:
Semper & acceptam (dive Iacobe) refert.
Ergo vale ô Princeps, quondam mihi magna patrona,
Vltima & hæc servi suscipe vota tui.

Edmundus Lilius Sacra Theol. professor, Magist. Collegij Balliol. & eiusdem Sereniss. Reginæ humilimus capellanus.

C Orpus inane animæ (lux quōdam & vita tuorum)
Illustris Princeps Elisabetha iaces.
Cuius ad exequias plenus singultibus ibo;
Supremum Lachrymæ pignus amoris erunt.
Nil potero solvisse minus, cui debeo cuncta;
Victus amictusq; est, munus id omne tuum.

Nec

Nec mea sors tantùm est; veneranda & chara fuisti
Nobilibus satrapis, Præsulibusq; parens.
Quorum sublimes fasces, & splendor, honorq;,
Gloria, & ingentes inde oriuntur opes.
Quin et confusæ plebis circumflua turba,
Quos favor, & fidei texerat vmbra tuæ,
Te Fortunarum fulcrum columenq; suarum
Lugentes, salsis imbribus ora rigant.
Deniq; Relligio, Pax, & Respublica florens,
(Cui non viderunt seclà priora parem)
Per te sunt fundata, tuo & transmissa Nepoti;
O precor, ista Dei sint stabilita manu.
Nunc viue æternùm felix,, cœloq; beata;
Inq; Abrahæ placido tuta quiesce sinu.

Nicolaus Bondus Sacra Theol. Doct. & Prases
Coll. Magd. Oxon.

In Obitum Elizabetha Anglia, Fran. & Hibern. nuper faliciss. Regina.

ELisabetha tuum tria fert insignia nomen:
Beth Domus, El deus est, fœmina at Isha sono est.
Villa virens, *Richmond*, te nunc *Aula alba* reliquit:
Pro lutea, arx cœli est iam tibi facta domus.
In terris mulier, morte es tu Cœlica facta,
El tuus in Cœlis hæc tibi dona dedit;
El Elohim deus ille tuus, cui Ecclesia vivâ
Nunc lachrymas fundens militat Angla fide.

POst annos mille, & centum bis ter repetitos,
A Christo nato in terris, annoq; secundo;
Post ex quadraginta actos, & quattuor annos
Imperij, menses quatuor, solesque viginti
Quattuor & noctes, Aries dum vellera siccat,

Vere ineunte novo cincto florente Corona,
Regina Elizabeth a terra ad sydera rapta est,
Magnifico vt clari frueretur lumine olympi,
Vt pedibus nubes calcaret, & orbis honores
Splendidulos fragilis, vitrei & ludibria mundi.
Filia pacis erat viuens, Anglisque Columbæ
Persimilis, quam olim Patriarcha admisit in Arcam,
Gestantem rostro folium viridantis oliuæ.
Rettulit imperio Deboram, pietate Dauidem.
Regina in terris fueras, nunc morte peremptum
In cineres abijt corpus: mens orbe recepta
Stellifero, Christum sequitur per templa Sionis;
Expectans corpus rediuivum, morte redemptum
Christe tuâ; cui laus, & honos per secula detur.

Thomas Hollandus Sacræ Theol. Doctor
Professor Regius Theolog. in Acad.
Celeberrima Oxoniensi.

ἘΙΣ ΤΆΦΟΝ ἘΛΙΣΆΒΕΤ ΚΡΑΤΊΣΤΗΣ,
Μεγίστης, Ἐυσεβεστάτης τῆς Βρεταννῶν Κελτῶν καὶ
Ἰβήρων Βασιλίσσης Ἐπικήδια.

Εὐπλόκαμοι χάριτες καὶ Εὔφρονες εἴπατε Μοῦσαι,
Τίς θ' ὑμῖν, ἄλλοις τε γόου τόσον ἵμερον ὦρσε;
Πάντοθι μυρομένους καπιδεῖν ὡς πλεῖστα Βρεταννοὺς,
Παντοδαπῶν ἀνδρῶν θρήνων καὶ ὄμματα μεστά.
Αἱ δ' ἀπαμειβόμεναι ἅμα τοῖσιν, ὀπὶ κλυτῇ εἶπον:
Δυσπαλὲς εὑρέμεναι θανάτου, καὶ Γήραος ἄλκαρ,
Σκῆπτρα ἐπιχθονίοις ὃς ποιεῖ ἶσα πεδίλοις:
Ἡμιθέοις πείρας τε φέρων, καὶ τέρμα βροτοῖσι,
Ὡς ἅμ' ἀρίζηλον μινύθων, ἄφατον τ χαλέπτων.
Κεῖται ἘΛΙΣΣΆΒΕΤ μοίρᾳ θνήσκουσα ἀτρέπτῳ,
Τῶν Βρετόνων Βασίλιννα καλὴ, καὶ Ἄνασσα Ἰβήρων,
Ἧς ἦν Ἀρχομένοις ἐπὶ πᾶσι μάκαιρα ἡ Ἀρχὴ,
Εἴτε Θεοῦ ζητεῖς ἐκεῖ εὐσεβὲς, ἢ καλὸν ἀνδρῶν.
Ἧς Ἀρχῆς ἀρχὴ, πάντων ἀναπαύσεως ἦρχε,

Εἰρήνης μετέχουσι πόλεις Πολέμων ἀφιεῖσα.
Τῶν προσγόνων ταραχὰς δίαν παύουσα Γαλήνην.
Παρθενικὴ βιόωσ᾽ αἰεὶ, σεμνοῦ μετὰ θυμοῦ,
Πρῶτα λιτάς τε θύουσα θεῷ καθαρᾶς ἀπὸ γνώμης,
Εἰδώλοις θυσίας τε λιποῦσ᾽, ἐντάλματα Πάππων,
Οὕνεκα Αἱρετικῶν ἦν πολλάκι αἰνὰ παθοῦσα,
Δυσμενέων κρατέουσα δόλων, ἐπὶ πᾶσι νικῶσα.
Ἐξ ὧν Εἰρήνης, οἰκείοις αἴτιον ἦλθε,
Καὶ τῶν ἐκ ξείνων κῦδός τε λάβεν, καὶ ὄνειαρ.
Παιδείαν, γλώτταις τε οὕτω φρονέουσα καὶ αὐτὴ,
Ποικίλα ὡς ἔθνη, χάραξ ἰδίωμα, προσεῖπε.
Τῶν Μουσῶν πήγαις φίλα τόσσ᾽ ἔρδεσκε καὶ ἔργα,
Ὡς οὐ παιδευτοῖς μόνον ἆθλα ἔδωκε ἄπειρα,
Ἀλλὰ καὶ εἰς Μούσας ἕδρας, καὶ ἄποινα ἔπηκτε,
Ἄξια Κοιρανικῶν ἵνα θάλλῃ Γράμματα δώρων.
Ταῖς χήραις πόσις ἦν πενιχραῖς, καὶ πότνια μήτηρ.
Πᾶσι δίκαια νέμειν, καὶ ἐτήτυμα πάντ᾽ ἀγορεύειν.
Ἀρχομένοις πολὺ πᾶσι φίλη, ἀρετῆς τε, δίκης τε
Εἵνεκα, σωφροσύνην ἀσκεῖν, αἰσχρῶν τ᾽ ἀπέχεσθαι.
Οὔτε γὰρ ἢ ἀδικοῦντα ἐᾷ, ἀδικεῖ ἢ ἔκητι.
Καὶ οὕτω παμπολλὰ ἔτη, ἄρχουσα Βρεταννῶν,
Τῆς χάριτος μετὰ τῶν πάντων, καὶ μηδενὸς ἔχθρας,
Ὕστερον εἰς νοῦσόν γε πεσοῦσα κακὴν, ὀλοήντε,
Ἣς ἀνίας τ᾽ ἤνεγκ᾽ ἀδεῶς, καὶ τλήμονι θυμῷ,
Εὐπρεπῶς θανάτῳ τε, νόῳ σὺν πρόφρονι εἶκε,
Ψυχὴ δ᾽ ἐκ ῥεθέων πταμένη, εἰς ἄστρα βέβηκεν
Καὶ Σ᾽ (ΙΑ´ΚΩΒΕ) νέον φανοῦσα μέδοντα Βρεταννῶν,
Τοῦ ἀρετῇ, ζευχθεῖσα τύχης καὶ Γνώσεος ἀλκῇ,
Θρησκείᾳ τε Θεοῦ καθαρᾷ, μετὰ ἂν ὄλβια πάντα
Στήσῃ, ἐπὶ σκήπτροις σοῖς σῶς, ἦ, καὶ βίος αὐτῆς.

אבן קבר ברכה
על מות אלישבע
המלכה:

בני אדם כבר בתי חומר דער
כי יתר כל-בשר יבסה העפר;
בשאול על-מות אשה שוכבה

אלישבע המלכה בכל-ברכה:
אשר בה חפצת בתורת אלוהים.
כל-יצר לבה על ישע לאמים:
על-בן עדן מקדם נוחה/
ביד עדי תלין רוחה;
אף-כי חי המלך יעקב בתמה:
הללויה וגילו אישים בפרבו:

Ioannes Perin Theolog. Doctor Græ. Ling.
Professor Regius. Ioannensis.

Quæ mihi sufficiunt lachrymæ, quæ flumina flenti,
Defleo dum cineres Elisabetha tuos?

QVæ fuit Henrici ter-maxima filia Magni,
Quæ magis ingenio nobilitata suo,
Magna ortu, maiorque animo, sed maxima cultu
Christe, Tui, & Celsi cognitione Dei,
Docta loqui varijs (vnquam si fœmina) linguis,
Nata velut manibus plectra ferire suis,
Cum per lustra novem sanctè & feliciter acta
Gestasset facili sceptra Britanna manu,
Accersente Deo, cœlo & dignante supremo,
Desinit in terris degere, iuncta polo.
Sed dum carne fugit, dum cœlos mente capessit,
Illius æternùm fama superstes erit.
Non nox, non tempus, non invida lingua malorum
Obruet, aut Stygium qui colit vsquè Iovem.
Quanta fuit bellis, Hispanus, Gallus, & Indus
Occiduus, Scotus, Belgaquè testis erit.
Sed quæ pace fuit, felices novimus Angli,
Aurea dum nobis secula virgo daret.
Vera parens patriæ, patrona pijssima Musis,
Iustitiæ cultrix, sobrietatis amans.
Illa tamen laus est homini pergrata Deoque,
Quæ nec in extremo est interitura die,
Quòd sine Papismi fucatâ fraude maligni

Quòd

Quòd ſine Romigenûm traditione Patrum,
Verba Dei, populo dedit, haud permixta veneno:
Puro è fonte ſacri verba petita libri.
Sic vivens Chriſtum coluit, ſic orbe receſſit,
In ſanctâ ſtabilis relligione Dei.
Nunc capit in cœlis ſolatia grata laborum,
Nunc requiem æterni carpit in arce poli.

Georgius Abbats Sacr. Theol. Doctor, Magiſter Collegij Univerſitatis, Oxon.

Ad Famam.

FAma loquax olim, nàm quid nunc muta ſileſcis?
Nec tibi de linguis mille, vel vna ſonat?
An quià te vivæ nomen laſſavit Elizæ,
Laſſari metuis poſt pia facta magis?
An quià de ſanctâ mentiri turpia vitâ
(More tuo) nequeas, invidioſa taces?
Quâ vitam maculâ, quâ mortem labe litures?
Nil in vtraq; probri eſt; hinc pudefacta files.

At (ſcio) rumperis, niſi voce ſilentia rumpas:
Ni loqueris, moreris; Vox tua vita tibi.
Quarè age, & Auguſtã loquitor (benè-garrula) Elizã,
Secula quò vivat ſera ſuperſtes anus.
Nec metuas exhauſta ſiet ne vena loquendo,
Oceanum citiùs muſcaue muſue bibat:
In laudes rediviva ſeges tibi pullulat vſq;,
Et bona ſi carpas plurima, plura manent.

Quòd ſi digna tuis depoſcas præmia factis,
En te (nec dubites) munera magna manent.
Quæ non demiſit quenquam ſine munere vivã;
Tenè indonatam Diva redire ſinet?
Non author, ſed teſtis eris, ſed nuntia veri
Solius, poſthac commereare fidem.

Nam

Nam de diuinâ quæcunq; loqueris Elizâ,
(Ni fors prava velis,) dicere ficta nequis.

Ioh. Aglyonbie Sacræ Theol. Doct. & Princip. Aulæ S^t. Edmundi, Immortalis efficij ergô.

MAgna canent de te vates, maiora tacebunt,
Diva super specimen magna, superq; fidem.
Virtutum ô immensa seges, laudumq; tuarum;
Iamq; cinis tanta, & tanta superstes eras.
Vos monitis parete meis, nec scribite vates;
Qui minus, ille nihil: qui nihil ille satis.

Iohannes. Kinge Sacræ Theol. Doct. Archidiac. Notingh.

SI mea cum vestris valuissent vota, Britanni,
Nulla mihi iam Musa foret de more cienda,
Tu vitâ dulci, nos te potiremur, Elisa.
Quod quia fata mihi vobisq; inimica negarunt,
Quæ melior tuba sublatam decantet Elisam,
Quàm, per quam vixit, viuetq; perennis Elisa?
Ergo age, Diva, precor, tu nostræ illabere menti,
Quanta alijs, vel quanta mihi qualisq; solebas
Aspirare olim, cum te, fretusq; iuventâ,
Illius immensas audebam dicere laudes,
Et paruis tenuare modis ingentia facta.
Concute desuetum pectus, totusq; calescam
Te subigente intus, sine te nihil ipse, nec ausim,
Hec possum, nec fas quicquam dixisse decori
Te semel invitâ; faueas modo Diva, vel ipsam
Haud equidem verbis ornare verebor Elisam.
Iamq; ades, agnosco scintillam in fomite raptam;
Quo feror? aut vbi sum? quæ pectore carmina volvo?
Quæ quibus anteferam? quæ nunc exordia sumam?
Corporis an laudem dotes, animivè sereni,
Fortunæuè priùs? num tot miracula rerum?
Sed quid, Diua, paras? ah desine; desinis eia,
Sensi; languescant flatu mihi vela remisso,

Extinctâq; iterum cineres tepuere favillâ.
Tu Dea, certè afflare potes, sed nec mea tantos
Cimba ferat fluctus, nec tantum lintea ventum.
Testa vetus musto diffindor, & obruor vndis
Vrna superfusis minor, & mihi pectora tanto
Deficiunt æstu, divinò exusta calore.
Non ea vis animo est curis, annisq; subacto,
Non ego par moli; res hæc, mentemq; solutam,
Immunemq; malis, secessum, atq; otia poscit.
Nec forsan deceat iuvenum tentare laborem.
Vos, quibus ingenium viget, & quibus integer ævi
Fervet adhuc animus, quibus otia fecit Elisa,
Instaurate aliquid limatum, dulce, canorum,
Materiæ quod par sit opus; cui, quæ sumus, ætas
Invideat, laudesq; ferat, quod deniq; vivat.
Vni Rex Macedo fuerat pingendus Apelli,
Et nisi Lysippo fingendus: sic & Elisæ
Non nisi præstanti celebranda encomia vati.
Grande peto, fateor, sed quod debetur Elisæ.
Quod nisi præstamus, studium scribendo benignum
Prodimus, ex meritis nunquam laudamus Elisam;
Qualem nulla tulit, nec postera viderit ætas.

Expectata diu, votisq; petita nefandis,
Longè præ reliquis sed Iesuita tibi;
Et tibi, Parsoni, imprimis (infamia sæcli,
Opprobrium vestræ propudiumq; Scholæ)
Anno sera suo mors tandem vênit Elisæ;
Ecce iacet cælebs, sic quoq; tota iacet.
Quid nunc lucrati? quâ commoditate sequutâ?
Audijt, an spreuit tam pia vota Deus?
Scilicet ablatâ pro Principe cælibe, & vnâ,
Ecce adsunt multi, quippe Iacobus adest,
Egregiâ pater & numerosâ prole beatus.
Quæ tibi post illam spes, Iesuita, manet?
Hanccine tu perdas? I nunc (vacat ire) per Indos,
Nil hic, post quod agat, jam tua pestis, habet.

Gulielmus Gager in LL. Doctor.

DVM funus celebrare piæ conabor Elizæ,
Nil mihi cum Phœbo, cum fictis nil mihi Musis:
Qui Deus es, solusq; potes prestare, quod opto,
Ecce tuum supplex, Deus, ô Deus, invoco numen.
O dilecta Deo Regina, & numine plena,
Et numen, (Sic te Pietas sic Gratia tollit)
Percipiant nostros tua fata extrema dolores:
O dilecta Deo (cuius mors invida vitam
Non tollit, vel morte in vitâ viuis Eliza)
Si mea me miserum paterentur tempora, vitæ
Fausta tuæ canerem lachrymoso tempora versu:
Te tua facta canunt, ego nil nisi nota referrem,
Te quoq; quid pariunt tam tristia tempora dignum?
Flumina non retinent oculi, fluit vndiq; luctus,
Quod tibi digna satis mihi solvere Iusta negatur.
Quid facio? frustra lacerant præcordia nostra
Curæ: Pacis amans placidâ tu pace quiescis:
O quantum doctrina tibi, (doctissima Virgo)
Publica res quantum, quantum ipsa Ecclesia debet?
Illibata cohors quantum tibi debet Eliza,
Questa sui sexus summum perijsse decorem?
Elisabetha fuit, fuit heu: nec sustinet vltra
Lingua loqui, recolens quod non fiet illa superstes,
Clarius in terris nomen quo nomine nullum est.
Bis-septem moritur lustris iam pęne peractis,
Grandia longævæ deuitans damna Senectæ;
Infracto Regina animo venit obvia morti,
Occurritq; lubens, currit secura, quod ipsi
Mors lucrum: In terris nil præter cœlica spirat;
Felices animæ quibus est in funere lucrum!
Si bene quæ moritur, bene vixit, nemo videtur
Indicium melius liquisse nec aptius vnquam:
Si bene quæ vixit, rectè moriatur, & inde
Vita beata necem fælicem denotat esse:
Inter fælices animas Regina quiescis.
Rex tibi condignos cumulat successor honores,
(Quò tibi maiores cumulat magis ipse colendus)
Ingentes tumulat: Pullatâ veste Iacobum,

Lugentem ante alios, nullo diademate Regem
Et nullo insignem sceptro, lachrymosa tegentem
Ora videre licet, (si vult tamen ipse videri.)
Ingens est luctus: Non hunc nova regna tumentem,
Non tituli efficiunt, neq; nomen honoribus auctum:
Altius hunc tangit charæ iactura Sororis,
Altius hunc angit charæ iactura Parentis.
Illa Parens fuerat, (sobolis si cura Parentem
Indicat, illa Parens fuerat tibi vera, *Iacobe*;
Quam nunquam potuit Regina, Oratio, rerum
Quam neq; lethiferi potuit violentia morbi,
Certaq; nec certæ poterant discrimina mortis
Immemorem fecisse tui: Tua splendida Virtus,
Relligio, Pietas, Proavorum insignia, Sanguis,
Ius tibi dant; Iustum nobis commendat *Eliza*;
Illi iusta facis (pietas rarissima Sæclo
Hoc duro) si luget Rex, quid cætera turba?
Otia præ lachrymis desunt, & carmina desunt:
Anglia quod plangat, quod plangat Hibernia, certū est,
Gallia cum Belgis comitem se iungit vtriq;.
Vndiq; fit planctus, resonat clamoribus æther,
Elisabetha vale, pia, prudens, iusta, pudica

Rodolph. Huchenson Coll. S^{ti}. Ioannis
Baptistæ Oxon. Præses.

DIstrahor, et dubiam versat sententia mentem:,
quid loquar aut faciam in funere Elisa tuo:
An mortem & Parcas crudeles nomine dicam,
Parcere quæ vitæ non didicere tuæ?
Hoc tritum est: Ego non illas incuso, nec illam,
Gratulor ast ambas succubuisse tibi.
An potius lachrymas miser, & suspiria fundam?
Non oculi satis his, his neq; pulmo satis.
An tuba virtutum fiam, vel buccina laudum?
At virtus numeri nescia, lausq; modi est.
Anne querar miseros te iam caruisse Britannos?
Gaudeo fælices te tam habuisse diu,

Nec vitam laudare, obitum aut lugere necesse est;
Cum tibi sit laudi vita, obitusq; lucro.
Ergo quid vt faciam superest? hoc dicere tantum,
(Ipse bonus faxit, sint rata dicta, deus)
Vive diu nobis in successore Iacobo,
Vivis vt in Christo (diva) perenne tibi.

Georgius Summasterus Aulæ Late-portensis Principalis.

Descensus sphærarum ad serenissimam Principem Divam Elisabetham Ang. Fran. & Hib. Reginam surripiendam.

SYdera nunc terris cursu propiore feruntur
Quam priùs, Astronomi si modo vera docent.
Quid tamen impulerit doctos ita dicere, dudum
Hæsimus, at nunc est res benè nota satis.
Quum Cœli aspicerent Reginam sceptra tenentem,
Virtutum tanto concomitante choro;
Obstupuere omnes, simul admirantur Elizam,
Et iuxtà admotis orbibus ire parant.
Hanc rapiunt gaudente polo, cœloq; beata
Sêdit vbi cathedram Cassiopêa tenet.
Dum tamen abripitur, nobis pax alma remansit,
Pace inijt regnum, pace obijtq; diem.
O Cœli, terris nimis invidiosa, potestas!
Quis putet invidiam sic tetigisse polum?

Richardus Boughtonus è Coll. Magd. Sacra Theol. Baccal.

PRoh dolor, vt dubio volvunt sua stamina fuso,
Propensæ ad nimium tristia pensa Deæ?
Nulla dies aliquo sine partu illuminat orbem:
Occidit absq; aliquo funere nulla dies.

Quæ Princeps dudum tot lustris præfuit Anglis,
  Fæmina prælustris, mortua Eliza iacet.
Mortua Eliza jacet; noverunt cætera cunctæ,
  Quascunq; aspiciat Phœbus vterq;, plagæ.
Proh fata: an virtus vivax, an summa potestas,
  An potuit pietas alma subire rogos?
Parcite divini vates, ignoscite sancti,
  Si iam virtutem nil nisi verba putem.
Hoc cineres suadent, & Iusta iniusta piorum:
  Queis dira accelerant fata cruenta necem.
Fallor ego: æternum vivet post funera virtus
  Nunquam funereis intumulanda rogis.
Nam quæ terrenâ nuper fuit Anglica stirpe
  Angelico facta est Diva beata choro.

Henricus Chittie Art. Magist. è Coll. Magd. Oxon.

ANglia mæsta genas, comptos lacerata capillos,
  Atrata luctus indice veste tui
Defunctæ nomenq; fleas, ac numen Elizæ:
  Fac iusto decores funera cum gemitu.
O virgo dilecta deo, dilecta Britannis,
  Fœminei sexus splendor, et orbis amor.
Quis fando memorare queat virtutis honorem
  Immensumq; decus, quo tua fama nitet?
Gallia prudentem celebrabit, Belgia mitem:
  Ista patrocinio sæpe levata tuo.
Invictas animi vires victriciaq; arma
  Sensit Iber, gelidis cum trepidaret aquis.
Gadibus auspicioq; tuo defixa tropæa,
  Exæquant famam viribus Herculeis.
O quam te memorent Angli? patriæuè parentem?
  Virginis aut habitu numen inesse ferent?
Blanda Venus faciem decorabat, pectora Pallas:
  Sêdit & in labijs mellea Suada tuis.
Virginis intactæ laudem dat casta Diana,
  Summa pudicitiæ iunctaq; forma fuit.

Dum rapiunt alias gentes incendia Martis,
  Vicinoſq; omnes bella cruenta premunt,
Te duce fida diu fovit concordia cives,
  Te duce pax & amor, regna Britanna beant.
Quam pietatis amans? teſtes Mariana refixa
  Decreta, excuſſum Pontificiſq; iugum.
Non ſtabulum Augiæ fœdatum ſordibus æquè,
  Ac fuit Italicis Anglia fœda ſtupris.
Anglia, ſed poſtquàm tua ſceptra capeſſit Eliza,
  Biblia ſacra patent, Relligioq; viget.
Et meritò Italicæ ſpreto Meretricis amore,
  Idola è templis diruta fœda ſacris.
Chara Deo, populoq; Dei, ſic vixit Eliza:
  Vixit, at æthereas iam tenet illa domos.
Vita prior mortalis erat, mortalia ſceptra;
  Vivit at æternùm ſceptra beata tenens.

Richardus Crakanthorp Sacræ Theol. Bacc.
è Collegio Reginæ Socius.

MItte ſales, gratoſq; aliàs fuge, Muſa, lepores:
  Non eſt conveniens luctibus ille color.
Quin triſtes elegos, & ſingultantia profer
  Carmina, luctiſonos funde, refunde modos.
Eheu (ſed reprimo, quid enim nova gaudia vano
  Planctu interturbem? Rex novus ecce venit)
Eheu (parce precor: premere alto corde dolorem
  Præſtat, at Elizam plangere cogit amor)
Eheu dulcis Eliza nimis, ſuper omnia dulcis,
  Cui gens non habuit, non habet ulla parem;
Quis tua (proh funeſta nimis) dum funera ſpectat,
  Multifluo triſtes non rigat imbre genas?
Dum tibi vita fuit, ne ſucceſſore Iacobo
  Mutaſſet faſces Anglia fauſta tuos:
Mortua cum iam ſis, & ſucceſſore Iacobo
  Penſentur duplici damna priora lucro;

Neſ.

Nescit adhuc cessare dolor, sua gaudia nescit
 Anglia, ob Elizam plena dolore suam.
Sed quid, dum nostras denigrant tristia mentes,
 Insolito rident tempora læta modo?
Crediderim cœlos nostra hæc mala tanta misertos
 Solari aspectu nos voluisse bono.
Aut potius, quòd Eliza adsit, tanto hospite lætos
 Lætitiam vultu significare suam.
Quicquid id est, cœlo ridente Britannia mœret,
 Nec vultum cœlis assimilare potest.
Non decet (ô populi nutrix longæva Britanni)
 Nos facile immemores non decet esse tibi.
Nunc mihi fas memorare tuas, Virgo inclyta, laudes;
 Cum blandituros præmia nulla manent.
Prædico (vos Itali, vos hoc & credite Iberi,
 Omnia ni forsan credere vera piget)
Prædico (sunt nobis Germania, Gallia testes)
 Huic similem gens nec vestra, nec vlla dedit.
Quàm merito dilecta suis, quàm clara per orbem,
 Quam verè vero sit deamata Deo,
Anglia persensit, præsentia sæcula norunt,
 Et (ni ingrata hæc sint nostra) futura scient.
Fœmina sic rexit (licet haud aptissima sceptro
 Fœmina sit) summos vt superarit avos.
Fœmina, Virgo, Senex, ita publica commoda rexit,
 Rectius vt nunquam fœmina, Virgo, senex.
Nil ego dissimulo, si quid Respublica culpet
 Iniustis nimium sæpe grauata modis:
Nullum excuso nefas, si Ecclesia læsa queratur
 Sacrilegâ toties attenuata manu:
Excusent quorum intererit: Nihil istud Elizam
 Tangit: Nam totum hoc noluit illa nefas.
Sat scio; ni nostras constanter amasset Athenas,
 Prædam has fecissent Aulica monstra suam.
O, bene qui meritæ meritò succedis Elizæ,
 Et spes maiores, quàm dedit illa, paris:
Pelle hominum pestes, & publica scandala mundi
 Sacrilegos, regnis pelle, Iacobe, tuis.

Sic

Sic ſuperes ipſam, quam nemo æquavit, Elizam;
Temporis & plus quàm vixerat illa, regas.

Io. Lee, Sacræ Theolog. Baccal. Ioannenſis.

FVnereâ populi crines vmbrate Cupreſſo,
Depoſita lauro, pullus adeſto color.
Nunc litui reböent luctus, nunc plectra gemiſcant,
Barbita condoleant, tympana triſte ſonent.
Doctaq; præ reliquis doleant habitacula cunctis
Tam citò Patrona ſe caruiſſe ſuâ.
Iam, iam Reginam (proh fata) Britannia luget,
Luget pura Caput Relligioq; ſuum.
Siccine crudeli mors crudeliſſima telo
Hanc decuit tantam te rapuiſſe deam?
Siccine Eliza tibi ſecuit cor cuſpide fatum?
Fila tibi Parcæ ſic ſecuere truces?
Heu video veluti marcent cum gramine flores
Sic tegere illuſtrem fœda ſepulchra deam.
Hoc decus eſt noſtri, pompa hæc, hæc gloria mu ndi,
Fiat vt in nihilum, quod fuit ante nihil,

Fœmina marmoreo iacet hic claudenda ſepulchro,
Fœmina Neſtoreos vivere digna dies,
O mors dira nimis iaculum cur figis in illam?
Tam citò non potuit commeruiſſe necem.
Siccine lethiferas dicam tres parcere Parcas?
Vix bene parca ſatis de tribus vna fuit.

Vrtica infœlix paſſim ſuccreſcit in agris,
Purpureas violas non habet omne ſolum.
Quocunq; in populo reges quocunq; ſub axe
Reginaſq; vides; hos dabit omne ſolum:
Sed nec talis erit, nec tali rarior vſquam
Extitit, aut patrij tanta columna ſoli.
Debora, Alexander rari, rariq; Camilli
Rara avis & Cæſar, rarior iſta fuit.

Nic. Higs, Sac. Theol. Bacc. è Coll. Bal.

An-

ANglia sit tristis, nec non Hibernia tristis,
Induat & pullas Curia tota togas.
Deplorent Clerus lugens, Academia lugens,
Principis amissæ funera mœsta suæ.
Namq; pari ingenio cum nobilitatis honore
Prædita mortalis fœmina nulla fuit.
In qua coniunctæ Pietas, Doctrinaq; certant,
Cuius ei maior gloria creuit ope.
Civibus illa suis mirandam fecit Elizam
Hostibus & claram reddidit ista suis.
Chara bonis, & Clara malis cum vixerit; istâ
Quis non orbatus Principe, tristis erit?
Ni te, quem Pietas, Doctrinaq; nobilis ornant,
Dixerit Hæredem (*Rex Iacobe*) suum.
Vive diù fœlix fœlicis Principis Hæres:
Anglo-Scotorum, Magne Monarcha, Ducum.

Regina in terris nuper, nunc Cælica Civis,
Pro fragili, æterno gaudet Eliza throno.
Anglica, dum vixit, Princeps: sed morte perempta
Angelica est sancto Virgo recepta choro.

Nicolaus Lymby Ioannensis, Sacræ Theolog. Bacchalaureus.

INfans è templo sacrum baptisma petebat;
Hæres è templo patris diadema recepit;
Regina à templo Natales, atq; Coronas
Audivit quatuor post quadraginta sonantes.
Pro tribus his templo reddit, iam neutra, cadaver.
Hic fleo, dum tēplum mens hic videt atq; cadaver.
Gratia sit superis; castum, atq; senile cadaver:
Sit dolor Angligenis, plusquam regale cadaver.
Sceptra ligo sepelit: cesserunt byssina saxis:
Contractura situs hæc aurea; sparsa per Anglos
Plurima, in hoc omnis nunc clauditur Aula sepulchro;
Hic fleo, dum video, (quanquā regale) Sepulchrū.
Ex infante illâ non natis gaudia nata;

Ex hærede illâ nobis, noſtriſq; potiti;
Ex reginâ illâ ſua quiq; ad vota regebant:
Ex languente illâ, res, gaudia languida noſtra.
Ex defunctâ illâ, mortem Anglia tota timebat.
Illi do lachrymas, mihi quæ res gaudia quondam.
Namq; ego ni dedero, lapis hic dabit; idq; ſepultam
Vt viuam viſens, modo plebs feriata videbit.
An quiſquam acceſſit ſiccis ad funus ocellis?
Certum eſt, nec pater hunc, nec matrem fleverit ille.
Officium iuſſit virtutes dicere, laudes
Reginæ ſupra laudem; verum illico mutus
Non poſſum; hiſtorici non poſſunt: fama carebit
Linguis; vnum aliquid, quæ debet, lingua loquatur
Singula, & intereà tot deficientibus ibo
Inter laudantes lachrymans; lachrymabo magiſq;
Quod lachrymare magis non poſſum. Vixit Elizaꝛ
Nec tantum vixit, pia, felix, vixit, obivit;
Nunc ſolum Cœlum ſic vivere cernit Elizam.

Georgius Ramſbee in Sacra Theol. Bacch.
Iohannenſis Oxon.

NAtura mater peperit æternum nihil.
Sic cecinit Orpheus Thraciam tangens chelyn.
Verum hoc Eliza victa iam letho docet,
Nil profuit pietas ei, virtus nihil,
Nil docta Muſarum cohors, proavi nihil.
Nil profuerunt merita, queîs Anglos beat;
Nil vel trophæa quæ hoſtibus victis tulit,
Nil vota proſunt ſupplicis turbæ pia.
Hæc ſingula, hæc et iuncta valuerunt nihil.
Perijt Eliza, perijt Anglorum decus;
Nec tamen Eliza perijt omnis, pars modo
Melior ſuperat aſtra, & chorum angelicum tenet.
Suis Eliza perijt, haud perijt ſibi.
Perijt licet mundo, attamen Vivit deo.

EN quam nil valeant Romani fulmina patris,
Fulmina, queîs longùm iam totum terruit orbem,

Exemplo

Exemplo discant cuncti fælicis Elizæ,
Illa licet virgo, tamen ausa est spernere leges
Romanas: & plena deo Papale removit
Angligenûm cervice iugum, quod ponere frustra
Conati proavi, sexuq; armisq; valentes.
Iuppiter at Latius, tantum quòd fœmina Princeps
In sua regna ausit, frendens stomachatur, & ardet,
Et tonat, et celsa iaculatur fulmen ab arce,
Impius atq; caput sactum Elizæ devovet atris
Diris: Sic impune Iovem contemnere nulli
Romanum fas est: sic ille vlciscitur hostes.
Interea Elisabetha viget felix, fruiturq;
Irato Iove, qua nemo fælicior vnquam
Inventus proavos inter, regesq; Britannos.
Elisabetha Eadem, manet imperterrita *semper*
His sanctis studijs, *eadem* & successibus æquis.
Ergo Iovem Italicum cuivis impunè licebit
Odisse, & Papæ brutum modò spernere fulmen,
Tantum quippe valent Romani fulmina patris
Adversus summi decreta verenda Iehovæ:
Quantum, cùm vano nisu lapis evolat altus
Adversus celsę fortissima mœnia turris;
Librantisq; caput repetito vulnerat ictu.
Qualis Eliza fuit, qualis causa, exitus ipse
Resq; probat; quòd enim semper per tempora longa
Vitæq; & regni, præsentis numinis illa
Auxilium sensit, quod sit fælicibus vsa
In bello & pace auspicijs: nemo ista negabit
Et iustæ causæ, diuini & signa favoris.
Displicuit Papæ, placuit sed Eliza Iehovæ.

Thomas Phippes Bacch. Theol. è
Colleg. Magd. Oxon.

Carmen funebre.

POmpa: Triumphales currus ductura Iacobi
Tardes, oro, gradum, siste parumper equos:

Gaudia, quæso, brevi concedant longa dolori,
Parvam dent lachrymis, exiguamq; moram.

HEnrici soboles, & filia sola superstes
Octavi, sexus gloria magna sui,
Virgo pia, vt serpens prudens, vt pura Columba,
Maiestas & Amor cuius in ore sedent,
Quæ cultrix, Vindex, Defensatrixquè perennis
Veræ & sinceræ Relligionis erat,
Quam doctrina suam, atq; suam Clementia dixit,
Iustitia atq; suam dixerat esse Deam,
Regnatrix Pacis, Victrix Belliquè stupenda
(Notum hoc Hispano, Papa tibiq; satis,)
Hoc tumulo *Elisabetha* iacet, quid? tanta ruina?
Inq; sepulchro vno? Tota iacere potest?
Fallor: in immensas ter felix spargitur Oras,
Et superas scandit Diva beata domos.
Huius non Asia est, non Africa nescia Famæ,
Europam taceo, testor at Antipodas.
Hic Musæ calamos, hic marmora, & æra fatigent,
Fœcundum hic carmen, perpetuumq; canant,
Pergite nunc Pompæ; persolui Iusta sepultæ:
Rex salve, & longùm dulcis Eliza, vale.

CVM Barbarossam, Papa submissum videt,
Pedibusq; prostratum suis:
Vsurpat audax Regium extemplò melos,
Et sic triumphos occinit.
„ Securus ibis Aspides nigras super,
„ Et pignora super Tigridum:
„ Tutus Dracones calcibus petes tuis,
„ Catulosq; Nemees impigros.
Miseret triumphi, Papa: Calceo, Osculo,
Felicitas pendet tuo?
Paulispèr audi, verba perpendas, rogo,
Ne, *Non Putaram*, diceres.
Regina virgo lustra iam tenuit novem
Imperia felix Anglica,
Cuius Dracones, et Leones Regij,

Tygres tuas & Aſpides
Domuere ſævas. Virgo ſic Vitam exuit,
Animamq; cœlo reddidit.
At ecce, primis alter acceſſit Leo,
Nec abſq; comitatu venit
Forti Ferarum. Pontifex in poſterum,
Væ Tigridi; væ atq; Aſpidi.

Proſopopoeia, ſive Elizabetha, fato functa, Angligenis Vita fruentibus.

ILLA ego quæ quondam terrena carne morata,
Non hominis ſolùm, ſed Virginis ora ferebam,
Nec tantùm virgo, ſed Regia Diua vocabar,
Quæ Regina fui (nil amplius) *ELISABETHA*,
Alloquor Angligenas; vos ô mea cura ſaluto.
His titulis Proavorum, Regnorumq;, beatam
Eſſe putatis me: verùm vos fallitis ipſos.
Quòd Chriſtus famulam non aſpernatur Elizam,
Quòd Chriſto vixi, Chriſtum quòd morte reſumpſi,
Dicite felicem: nil cætera Stemmata Proſunt:
Vos fundavi, protexi, tandemq; reliqui
In ſumma pace, ac ſincera Religione:
Quem Regemquè dedi, Deus & Natura dederunt:
Hunc colite, inſeruite Deo, ac eſtote Beati.

Laur. Humfredus Artium, Magiſt. è Coll. Magd.

NON Deus æternus mortales dixit ineptè
Reges eſſe Deos; vox ea vera fuit.
Mente revolue, precor, Reginam hanc Eliſabetham,
Mòx illam verè confiteare Deam.
En, ſupèr excelſum ſolium, ſublime locatur:
Sceptra tenens manibus, Iura dabat populo.
Illinc Iuſtitia, hinc ſolium Clementia cinxit;
Et paritèr vitæ Ius tulit atq; necis.
Pacem firmavit gladio bellumq; fugavit:
Pectore tàm docto, vt ſingula noſſe putes:

Virgo pia & ſapiens, Divino cuius in ore
Mixta ſupercilio Gratia pulchra ſtetit.
Quis negat eſſe Deam? dixit Deus ipſe: quid vltra?
Vidimus hoc ipſi; Cedimus eſſe Deam.
At Deus æternus Dijs illis Regibus inquit,
Sors hominum Reges, Mors eademq; manet.
Aſpicite hunc Tumulum, hanc Terram, quid quæritis vltrà?
Num lachrymas? ingens non finit vſq; dolor.
Aſpicite & Cœlos, vbi nunc felicior illa eſt,
Quàm fuit in Solio Regia Virgo ſuo.

Quid flere ceſſas? quidve ſiccantur genæ?
Mœrere fas eſt, facilis hoc Princeps probat,
Et ſuadet etiam, laudat & luctus pios:
Haud mortuæ invidet Sorori gloriam,
Et ipſe ſummam voce ſincerâ hanc dedit.
Regina prudens pariter & felix, ſua
Sic ſceptra tractat, ſimile quod nemo vſpiam
Aut legit, aut audivit, Auguſto tenus.
Vox Rege dignè digna Reginæ data.

Richardus Lone, *Art. Magiſt.* è *Coll. Magd.*

Ponant lætitiæ modum
Tantiſper lachrymæ, veraq; gaudia,
Quæ tu Rex tribuis tuis,
Veræ triſtitiæ nunc habitum induant.
Reginæq; Piæ, modis
Funus flebilibus, ceu comites, trahant.
Quis ſiccis oculis, (ſiet
Quamvis is ſilice, aut pumice durior,)
Immenſum recolat bonum,
Quo, morte (*Eliſabet*) exuitur tua.
Iacobus licet omnia
Compenſet meritis, & ſuperet, mala:
Verus, non niſi lachrymis
Expletur, lachrymis egeritur dolor.

SChebanam, extremo traxit Salomonis ab Austro
Reginam, sapientia:
Reginæ nuper pellexit vt vndiq; reges
Arctôæ sapientia!
Nunc infelices, ipsum testabimur orbem,
Quàm Magna occubuit Dea.
Nec nostrum, Oceanus totis circumfluus esset
Deflendo lachrymis malum;
Par nisi *Prudenti solus Iacobus Elisa*
Arctôum regeret polum:
Ille etenim lachrymas nostras, maiore redemit
Dono lætitiæ, pias.
Ergò felices, ipsum testabimur orbem,
Quàm Magnus Deus ortus est.
Externâ Australes collustrat *luce* Iehova,
Internâ Boream beat.

O Generis spes vna Tui, quâ tota Parentis
Est collapsa Domus; Nam cum natura profudit
In Te, quicquid erat cœlesti Principe dignum,
Perfectum fabricavit opus; quòdq; ipsa videret
Non Tibi posse parem veteri de stirpe creari,
Edere dedignata aliam est nimis invida prolem:
Ergo Tui tecum perijt spes summa Parentis.
Quî mortem celebrabo tuam dignissima Phœnix!
Aurea si mihi penna tuæ præstabitur alæ,
Exibit forsan Te non indigna camæna.
Pauper odoriferas plantas & cinnama ferre
Non possum, atq; rogum tibi consecrare perennem.
Rege opus hoc dignum est, & solo digna *Stuarto*
Materies; mortem Phœnicis carmine solus
Scit magno illustrare; mihi nimis arcta supellex.
Ergo mihi tua Rex doctas Panchaia ministret
Divitias, vt sic ingrata silentia rumpam,
Et saltem inscribam mutato idiomate vestrum
Phœnicis nostræ tumulo, Rex inclyte, carmen.
Hic tumulata iacet, cui per divortia mortis,
Æternam vitam vivere Apollo dedit.

Edoard. Iames ex Æde Christ. in Art. Mag.

Vestrum

VEstrum grande nefas extat, fera turba Sororum,
Quæ trahitis nigrâ tristia pensa colô.
Quàm vos purpureum Reginæ stamen Elizæ,
Dedecuit celeri præcipitasse rotâ!
Sed nimis importuna furit truculentia Mortis,
Inijcit & Plebi Principibusq; manum.
Heu quantam cladem, quantam est perpessa ruinam
Publica-Res obitu, Dulcis Eliza, tuo.
Nam fuit & tua vita salus & vita tuorum;
Funus & hoc vnum funera multa dedit.
Relligio cultusq; Dei sine labe; (fugatis
Pontificum nugis quisquilijsq; procul,)
Maiestatis apex; stirps Regia, Mascula virtus;
Fœmineumq; decus; virgineusq; decor;
Linguarum studium; & divinæ Pallados artes;
Paxq; domi, victrix laurea parta foris,
Hæc tecum nasci, Princeps dignissima Coelo,
Teq; videbantur iam pereunte, mori.
Hoc quoq; credideram; nisi qui successerit hæres,
Dotibus his multùm suspiciendus erat.
E Phœnice satus Phœnix; ex Principe Princeps;
Deq; Leone Leo est; & Rosa nata Rosis.
Surgit Eliza tuo de trunco germen, vt olim,
Leucothoë, ex tumulo *thurea virga* tuo.
Sicut & in cœlis nunc Elisabetha triumphas,
Sic victo in terris hoste Iacobus ovet.

Ioh. Sanford Art. Magist. è Coll. Magd.

QVis potest luctus cohibere iustos
Myrmidon durus, Dolopumve miles,
Subditos inter tot vbique fidos
Triste gementes?
Musa quid cessas? lachrymis obortis
Irriga vultus! dolor ecce cogit.
Occidit nuper quoniam Britannûm
Splendor, Eliza;

Illa, quæ ſemper vigil excubabat
Limen ad Chriſti, pia Virgo, Templij;
Ne quis intraret lupus, aut doloſo
Pectore vulpes.
Qua ſub, occulto velut arbor ævo,
Sparſit immenſos, pia turba, ramos;
Alma pax nullis agitata nimbis
Tuta quievit.
Copijs quicquid potuere iunctis
Papa vel dæmon ſimul intonantes,
Senſit; eliſit; nihil obſuerunt,
Numine fauſto:
Vidimus bello quoties Iberum,
Vicimus bello toties Iberum.
Viximus tanquàm gremio ſalutis,
Tempore Elizæ.
Quis poteſt cunctos memorare caſus,
Paſſa quas virgo eſt? ſtetit inter omnes
Turbines rerum, velut inter vndas
Saxea rupes.
Rebus adverſis patiens; ſecundis
Alteram ſortem metuens; amicis
Fida; ſed nullis inimica; cunctis
Mite levamen.
Proditor quicquam fabricans in illam,
Prodidit ſeſe citò proditorem.
Noluit ſervam Deus æquus vnctam
Fraude perire.
Nunc tamen, ſicut roſa ſole aduſta
Senſit occaſum fragilis ſenectæ,
Fraudibus tantis licèt impetita,
Pace quievit.
Heu vices vitæ! brevis hora ſummis
Ima permutat: fuimus beati
Principe inſigni; iacet illa, reſtant
Vndiq; planctus.
Si te amor poſſit retinere noſter
Vixeras ſemper (generoſa Virgo)

Nunc amor mæſtus lachrymis obortis
Debita ſoluit.
Triſtis vt clanctu chelidon oberrat,
Funere vt patris gemit orbus infans,
Stridula vt caſto viduata plangit
Turture turtur.
Sic anhelanti ſonitu gemiſcens
Anglia occaſum celebrans Elizæ
Vergit in luctus, repetens ab imo
Pectore fletus.
Eius, at docti a Patribus ſonabunt
Filij laudes, recolent nepotes
Nomen; & ſeri celebrabit ævi
Sera propago,

Gulielmus Helme Exonienſis Coll. Soc. in Art. Mag.

Ad Pollinctorem ſive Funeris Procuratorem.

INter tot vatum divina poemata, faxis
Inveniant aliquem carmina noſtra locum.
Exequiale paro donum, quod pignus amoris
Officijq; mei penſile carmen erit.

Carmina funebria

ELiſabetha meæ veniam concede querelæ,
Quæq; tuam mortē verba queruntur, habe.
Cur pede tam celeri properas ad funus Eliſa?
Anne tibi populi diſplicuere tui?
Tuve minùs (Regina) tuis dilecta Britannis?
Anne quòd Angligenis Mors ſtruat atra dolos?
Sic eſt, fœcundam Mortis truculentia meſſem
Principis ex tantæ ſperat habere nece.
Crediderat pendere Tuo de Funere Plebem,
Poſſe vnà Tecum vivere, poſſe mori.
Et *Capite* abſciſſo ſperabat cætera *Membra*

Cum

Cum capite (vt mos est) interitura simul.
Hoc furor incensæ *Mortis* sperabat, at errat:
Namq; solet *Christus* mitior esse Suis,
Nec voluit Terram Populis orbare Britannam,
Nec voluit nimios multiplicare rogos:
Attamē hoc vnum nimium est nimiumq; sepulchrū,
Est & adhuc numero *Mors* truculenta suo:
Hoc ictu *Mortis* perijt *Clementia*, *Veri*
Fulcimen, Castæ *Virginitatis* Honos,
Christi serva humilis, *Maiestas* regia; summum,
Et *Tuderiaci Nominis* omne decus.
Nympha *Parens Patriæ*, *Lux* Anglis, *Horror* Iberis,
Atq; eadem *Orbis Amor*, quæ *Stupor Orbis*, erat;
Quam natam *Aurora* voluit præcedere *Christus*,
Et Noctis tenebras luce fugare graves.
In cuius teneris annis scintillula quævis
Virtutum, accenso claruit igne magis.
Quæ potuit varios hominum internoscere mores,
Et novit Iustos seposuisse Malis.
Nec tantùm patrio exercet sermone loquélam,
Huic etenim quævis, patria, lingua fuit.
Quâcum perpetuo cupierunt fœdere iungi
Polonus, *Galli*, *Scotus*, *Belga*, *Dani*,
Russiacus Princeps, & magni nominis *Afri*,
Et quos non poterit multa referre dies.
Tantùm *Hispane* fremis, tantùm *gens Itala* frendes,
(Vtraq; gens proprij causa, comesq; mali)
Mors * *Italum*, & quavis peius nece *Dedecus* vrget;
Et *Gaditanum* iam tremit omne latus.
Ad *Draci* nomen *Novus* horret *Americus Orbis*,
Qui fuit auspicio miles (*Elisa*) tuo:
Qui cursu æquavit *Phœbum*, *Phœbiq;* *sororem*,
Et sospes victo victor ab hoste redit.
Cui par *Candishus*, par *Frobisherus* honore est,
Arctoum videt hic, alter vtrumq; Polum?
Et qui succubuit tam forti pectore *Grenvile*,
Et *Norrisiaca* stirps generosa *Domus*,
Nobile *Sydnai* sidus; Tuq; inclyte versu

*Itali appulerunt in Hiber An. Reg Eli. 22. & succubuerunt.

Essexi multùm collachrymande meos
Et (quorum fureret producta ad nomina *Livor*)
Centum, quos rapuit *Mors* violenta, Duces.
Non satis est (*Mors* dira) tuo quòd vulnere tanti
Occubuere *viri*, quin & Elisa cadat?
Ferrea *Mors*, ferro *Mors* ferrea durior ipso,
Quam mitem & mollem *fœmina* nulla facit.
Ferrea Mors vtcunq; , tamen Regina beata est,
Ipsâ quæ in vitâ *Morte* triumphat ovans;
Quam *Deus* hæredem Regni cœlestis adoptat,
Cui *Deus* in tanta pace sepulchra dedit.
Sed nec virtutum numerosa caterva Tuarum
Hos etiam (*Princeps*) Tecum adiere rogos.
Olim fatidico quam de Te carmine dixti
Vox est vera, * *sub hoc marmore virgo iacet*.
Ast idem Princeps Regni successor et Hæres,
Virtutes etiam possidet ipse Tuas.
Parcite versiculis *Manes* fælicis *Elisa*,
Vix benè dimidius carmina scribit homo,
Quin Tecum (*Regina*) Mei Pars vna sepulta est,
Altera Pars vivit (Rex *Iacobe*) Tibi,
At si quis rigido mea carmina vulneret vngue,
Ne laceret caveat Nomen (*Elisa*) Tuum

* Orat: ad Proceres in parliam: habita. An. regni Primo.

Ed. Lapworth. è Coll. Magdal. Art. Mag.

Reginam celebrare tuam satis Anglia nescis;
Illa tibi magni numinis instar erat.
Nascenti primum tribuit *Natura* decoris
Quicquid habet, tribuit Gratia quiquid habet.
Quicquid Musa docet, quicquid docuistis Athenæ,
Mirificè a cunis imbibit illa suis.
Hinc linguas, quas Orbis habet, prope calluit omnes:
Linguarum atq; Orbis maius *Elisa* decus.
His ornata bonis regni Diadema recepit,
Rettulit ornatum sic Diadema suum.
Fortunas laudare tuas, satis Anglia nescis;
(Dico tuas, quales fecit *Elisa* tuas)
Virginitas, Pietas, virtus, Pax longa, fidesq;

Vera,

Vera, Dei cultus, relligionis amor,
Ornamenta tui sunt hæc insignia sceptri,
Hisq; beas Anglos Elisabetha tuos.
Hi tibi erant *Flores*; isti tua sceptra *Leones*
Effecere foris splendida, fausta domi.
His munitam armis nec perfidus ensis Iberi,
Lædere nec poterant fulmina dira Papæ.
At quoniam non numen eras, sed numinis instar,
Non instar mortis, mors tua vera fuit.
Numen at hinc verum es, nec iam tu numinis instar,
Nec tibi mors posthàc vera, nec instar erit.
Nam Cœlo felix melius Diadema capessis,
Et meliora solo regna Iacobus habet.

STamina divinæ fatalia rupit Elisæ
Parca, per antiphrasin; tam malè parca fuit,
Hinc vos regali geniti de sanguine, quando
Ferrea nec vobis parcere fata queant;
Tunc, cum fata vocant patientius ite sub vmbras,
Inde licèt precibus non remeare licet.
Fidite nec sceptris, nec opes numerate, nec annos;
Istis quæ poterat vincere, victa cadit.
Non tamen illa cadit quam numen ad astra vocavit;
Extulit hinc animam Numen, Elisa, tuam.
At vos Angligenæ, quos illa beaverat omnes,
Ferte rosas illi, quæ Rosa vestra fuit.
Principis ad tumulum succrescat Apollinis arbor,
Mixtaq; cum violis lilia, cumq; rosis.
Virginis ad tumulum Nymphæ Parnassides vdas
Effundant lachrymas, Pallas & ipsa gemat.
Ad talem tumulum quicquid lugere Minerva
Quicquid Nympha potest, vix satis esse potest

Gualterus Bennet Novi Coll. Socius, in Art. Mag.

QVod sine nauclero navis quassata procellis,
Hoc ipsum est iusto spoliatum principe regnum.
Non ergò immeritò demptam dolet Anglia Elizam,
Nec populus frustrà lugubri incedit amictu,

Quum constet iusti causam superesse doloris.
Nam si fortunæ bona lubrica flemus adempta,
Si natos, charosq; decet lugere parentes,
Debita naturæ cùm solvunt; æquiùs ipsum
Lugemus mortis subeuntem limina, Regem,
Cuius vita salus populo, mors dira sepulchrum.
Publica sunt proprijs graviora incommoda damnis,
Ergò quùm regni cecidit spes sola Britanni,
Princeps post nullos vnquam memoranda monarchas
Elisabetha, sui lampas clarissima regni
Fœmina, quæ prudens, recti studiosa, diserta,
Relligiosa, dei debellans fortitèr hostes,
Iustitiæ Antistes, veræ pietatis amica.
Cuius & Hesperijs, & fulsit lumen Eois,
Famaq; convexi penetravit sidera cœli.
Huius mortalis Divæ cùm funeris instat
Atra dies, poscens feralia iusta rependi,
Atria cùm vestit pullus color omnia, nemo
Livida præduris nec tundit pectora palmis,
Omnia cùm mæsto tabescunt lumina fletu,
Cùm sequitur guttam sua gutta, rigantq; potentum
Pręcipites lachrymarum imbres sic ora virorum
Vt tumefacta suo videantur flumina planctu,
Immemor accepti ne sola Academia perstet
Præsidij, decoris, splendoris, honoris ab illâ,
Adsis Melpomene turbâ comitata sororum,
Et turbæ quascunq; velis præscribito leges,
Quò meliùs tragico proclames cuncta boatu;
Cleio gesta canat, quondam florentis Elizæ,
Et gestis verè transactis tempora reddat:
Comica lascivam ponatq; Thalia poesin,
Nec risus moveat vanos, nec ludicra iactet,
Sed populosa novo sit plena Orchestra dolore;
Blandaq; dulçiloquis calamos quæ flatibus vrges
Euterpe, cantum lachrymis mutato profundis,
Et tua funereos tristis det tibia cantus,
Ordine quæq; suo famulentur, & ordine clament,
Musarum columen cecidit, morientis Elizæ

Funere

Funere & est extincta chori spes maxima nostri.
Nos ergò musæ dabimus pro munere Elizæ
Supremo, lachrymas, gemitus, suspiria, planctus.

Sampson Newton Mag. Art. è Coll. Magd.

TAndem deseruit terras terræ stupor, orbis
Splendor, deliciæq; Anglorū, & gloria sexus
Fœminei, nutrix Musarum, virginum Elisa
Flos, Europæos inter celeberrima Princeps.
Ergò deformare genas si turpe viriles
Plendo putet quisquam: parcat. Non ipse recuso
Sic fieri turpis. Num in funere principis, Eheu,
Et tantæ talisq;, erit vllus siccus ocellus?
Si vel imaginibus maiorum Regia fulta
Prodesset quicquam, quicquam si stemmata avita:
Quos ego prælustres poteram producere reges
Illius & proavos atavosq;? At origine sola
Quæ laus sola sita est, laus hæc tibi nulla videtur,
Nec *tua*, Elisa, vocas, nisi quæ tu feceris ipsa.
Ergò vt luna notho atq; alieno lumine, terris
Non tu splendebas: proprio at splendore refulges.
Quòd pax, te regnante, fides, pietasq;, decusq;
Artes, relligio sincera, Academia, tota
Publica-res, Christiq; ecclesia, deniq; cuncta
Florebant: Tua sunt hæc omnia, sunt tua certè.
Vixisti fœlix, famâ, virtutibus, annis
Vel satura. Et (quod perpaucis contingere cernas
Principibus tantis) post tot discrimina vitæ,
Tot post insidias, sine cæde & sanguine, siccâ
Morte perempta iacens, fœlix es mortua. Longùm
Anglia te vivâ gaudebat principe tantâ
Defunctâ gaudet cœlum nunc hospite tantâ.

Gulielmus Langton, Art. Magist. è Coll. Magdal.

Iure

IVre quidem, raptam nobis lugemus Elisam,
Iure damus lachrymas, & sine fine novas;
Solamen tamen est, sanctas ad sidera mentes
Ire: nec infernos posse subire lacus.
Vivit in æthereo, quam nos hic flemus, Olympo:,
Gaudet & humanas deseruisse domos.

QVicquid in antiquis laudabile regibus extat,
Inclyta dum prisci temporis acta lego:
Illa Deus, supraq; alios, tibi detulit vni,
O virgo summis anteferenda viris.
Qualis in Abramo pietas spectata fideli,
Qualis pacifici Melchisidechis honor,
Qualis captivum fortuna secuta Iosephum,
Qualis in absorpto sorsq; salusq; Ionâ,
Quo zelo Elias, qua mansuetudine Moses,
Victoris Iosuæ gloria quanta fuit,
Qualis & invicti fuerat patientia Iobi,
Quam fuit in Ionathæ fœdere fidus amor:
Talis es: & tantam (Princeps dulcissima) cladem
Morte tua infelix Anglia nuper habet.
Immo habuit: Deus ecce malis solamina tantis
Spem supra, pæne & vota, repente dedit.

Georgius Iohnson Magist. Art. è Coll. Novo.

VOs ô Pieriæ Corona Syluæ,
Dulces Filiolæ Iovis sereni,
Doctæ Mnemosynes faceta proles,
Turba candida, & elegantiorum
Et solatiolum, & decus virorum:
Si quid vel studijs laboriosis,
Vel blandis precibus, vel arte possum
(Felici minus, & minus politâ,)
Totus vester, ad imperata stabo
Promptus omnia, quin & obligatus,

Hac tantùm vice nunc benigniores
Ad partes Dominæ venite noſtras:
Hac tantum vice ſim moleſtus vnâ,
Nil poſthac faciles Deas rogabo.
Quòd ſi reſpuitis preces, nec aures
Tam rectæ datis obſecrationi,
Parete imperio ſeveriori:
Adeſte, Officio vacate veſtro; (nus.
Veſtrum eſt, quod moneo petoq; mu-
Quæ doctas ſtudijs ſuis Camænas,
Doctas auſpicijs ſuis Camænas,
Et veſtram Imperio ſuo ſalutem,
Et veſtram facili favore vitam
Protexit, coluit, beavit, auxit,
Veſtros provocat, evocat q; cantus:
Quantum nobilis vmbra provocare
Poteſt, & cinis evocare quantùm.
O, quæ vos vetuit perire viva,
Defunctam prohibete vos perire.
Expectatis vt iſta planiore
Exponam, & referam palam, loquelâ?
Sed nec vos poterit latere, Muſæ,
Nec meus patitur referre luctus.
Sed victus nimio dolore luctus
Victus officio pio, ſinebat
Quamuis crudior inde ſit, referre.
Quæ per luſtra ferè novena noſtras
Princeps maxima, nobilis, diſerta,
Prudens, Relligioſa, docta, Terras
Rexit imprio perauſpicato,
Iam fati imperio potentiori
Ceſſit, nec potuit nimis furentem
Mortis flectere nuntium rogando,
Quæ perſæpè alijs, vel imperando,
Mortem depulerat ferocientem.
Ergo mortua nùnc iaces *Eliza*?
Iaces mortua: ſed meo virebis
Semper pectore, & ore victitabis.

Isto si placeat frui sepulchro,
Vel te perpetuam dabit sepulchrum,
Vel tu perpetuum dabis sepulchrum:
Illo nomine tu satis beata,
Vtrovis ego sim nimis beatus.
Verum quid tibi cum meo sepulchro?
Non est mens mea digna, quæ sepulchrū
Defunctæ tibi præbeat: nec herclè
Spirantes deceant sepulchra Divas.
Laudes te deceant magis canorę,
Nec laudes ego iam tuas tacere,
Nec possum satis eloqui canorè.
Quicquid lumine lustro diligenti,
Plenum laudibus, & Marone dignum
Cerno, atq; ingenio beatiore.
Si cunas animo petam tenellas,
Alcidem video manu prementem
Angues, & video favos Platonem
Infanti simul ore gestitantem:
Et fortis specimen virile mentis,
Et oris specimen süavioris.
Constantesne iuvat dies videre?
Præstantes licet hic videre mores,
Qui sexum decorare fœminilem
Possint, qui superare fœminilem.
Verum Grammatici truces cachinnos
Tollent, quòd nova, dura verba cudam,
Sic sexum geminando *fœminilem*.
Verum Grammatici silete, verbum hoc
Donavit Bona civitate Princeps:
Quæ, cùm pellere Civitate posset
Et vos, & reliquos scholarum alumnos,
(Quod fecisse alios liquet Monarchas)
Nobis otia, tuta, mollicella,
Docta, libera, ditiora multò
Quàm sæclo dederant priore Reges,
Sponte tradidit, atq; certiora.
Non vnum poterit creare verbum,

Quæ

Quæ nostras recreavit vna sedes?
Verùm frendite, si velitis, ipse
Posthac *fœmineum* parùm Latinum,
Latinumq; putabo *fœminile*.
Sed privata iuvat parùm tueri,
Quamvis maxima; Principis creatæ
Gesta, & publica persequamur Acta.
Fœlix imperij auspicantis omen,
Pax se candida præbet osculandam.
Non Pax, quæ viridi venusta veste
Serta spicea gestat, & Corollam
Ex primis teneræ comis Olivæ?
Salue candida Pax, beata Salue,
Semper splendida, semper expetenda,
Tumultus inimica turbulentis
Tùnc summis tamen expetenda votis,
Cum Dux Relligio, Comes Decorum,
Et Musæ numerantur insequentes.
Talis, auspicijs (Elisa) vestris,
In nostra regione constituta est.
Nam tùm Relligio diù fugata,
Ad sacras redijt beata Sedes,
Castâ pace recepta gratiâq;,
Doctâ pace retenta gratiaq; ;
Quamvis fulmine Pontifex profano,
Hispanus tonitru superbus atro,
Divinum violare vterq; Cultum,
Et pacem voluit fugare nostram.
Hoc factum auspicijs Elisa vestris.
Verùm *pessimus ille*, Subditorum
Mentes in Dominam suam excitavit,
Inq; Vnctam Domini imPius Sacerdos:
Tum Bullâ furiosus execrandâ,
Iuris rumpere vinculum sacrati
(Quod vult perpetuum Deus ratumq;)
Conatus, minimùm valere cernens,
Quod tanto scelere ille concitasset,
Novas ingreditur vias, & hostem

Hiſpanum facit, incitatq; factum:
Sed nec publica vis ſatis cruento
Viſa eſt propoſito; ſed arma furtim
Privata exacuit, ſtruitq; tectas
Reginæ inſidias; docendo Cœlum
Nulla commodiùs viâ parari,
Quàm ſi Principis optimæ ſtupendo
Vitam ſuſtulerit Britannus auſu.
Credit Pontifici Parêus audax:
(Audax? impius, impudens Parêus)
Cœlum flagitio petit neſando.
Venit cum pugione, cum ſclopeto,
Queìs belli potuit Deum necare:
Et ſolam aggreditur; ſed illa ſola
Tecta præſidio Dei potentis,
Nec tacta eſt pugione, nec ſclopeto,
Atq; hic Pontificem videtis ipſum
Erraſſe, & miſerum magis Parêum:
Si non veridicus fuiſſe vates,
Cœlum pollicitus, Pater putetur:
Quòd cœlũ, ſcelere hoc parùm patrato,
Præclaro obtinuit Parêus auſo:
Nam *Cœlo tegitur*, docente vate,
Cui nec *vrna* data eſt, nec eſt Sepulchrũ.
Sic cœlum teneant, precor, ſolumq;,
Qui ſunt Principibus minùs fideles.
Verùm noſtra diù diuq; vixit,
Quamvis innumeris Eliza telis
Occultiſq; fuit petita technis:
Nec vixit modò, ſed beata vicit
Hiſpanum, & reliquos Patris miniſtros
Romani, & varios domi, triumphos
Egit de rabido, ſedens, Tyranno.
Iam quid finitimis benigna terris
Suis auſpicijs, ſuiſq; bellis,
Solâ Relligione mota, ſola
Multis præſtiterit, tacere noſtrum eſt.
Dicat Gallia, Belgiumq; dicat:

Lusitania dicat, & Geneva,
Dicat Scotia, Nam tacere Nostrum est.
Tam sunt splendida, multa, multa valdè
Vt multò penitùs tacere præstet
Quam referre parùm: Hinc tacere nostrum est.
Non quòd multa supèr canenda non sint,
Sed nec Pagina plura comprehendit,
Nec mens omnia comprehendit vna.
Sed nec Musa capit pedestris illa,
Quæ magnum capiunt satis Maronem.
Vos ô Pieriæ Corona Syluæ
Divam dicite, Nam tacere Nostrum est.

Iacobus Cooke in LL. Bacc. Novi Collegij Socius.

Laus serenissimæ Reginæ Elisabethæ ob constantem professionem & defensionem veræ Christianæ fidei vsq; ad extremum vitæ spiritum.

NEmpe salutare ad multos affulserat annos
Sidus dia Anglis Elisabetha suis:
Dispuleratq; suis procul oris illius vmbram
Noctis, quam mundo turbida Roma tulit.
Vt sol integro subiturus robore Cancrum
AEstivo lucem cardine multiplicat,
Ast vt in occasum Phœbus torquetur ab ortu,
Nec potis est semper continuare diem:
Vtq; sub occasum quondam surgentibus austris
Languenti Phœbo nubila se obijciunt:
Sic a Tartareo tenebrarum principe claves
Acceptas, falsò quas tibi (Petre) refert,
Papa sibi assumens, inferni Ianitor orci:
(Ipse tamen cœlum claudere posse putat,
Et certe claudit miseris, quos devius error
Egit deceptos eius in obsequium:)
Speravit rursum nobis offundere noctem,
Nosq; iterum in tenebris volvere Cimmerijs.

Nam referatâ iterum portâ nigricantis abyssi
    Missâ è Iesuitis Sacrificisq; simul,
Effudit confertim in nostras agmina terras:
    Visa locustarum est altera nata lues.
Protinus hi tetro veluti fumum ore vomentes,
    Conati obscuris cuncta replere strophis.
Moxq; istis tantum sibi prævaluisse videri,
    Vt, quasi de spolijs, seditio orta fiet.
At Regina gravi quamvis ætate fatiscens,
    Mente tamen pura & relligione vigens,
Comprimit edicto vana ratione tumentes,
    Hosq; fugam procul hinc accelerare iubet.
Neu leve sit verbum iamiam morientis Elisæ:
    (Nam spe huius mortis turba proterva fuit.)
Christo animam tradens, sceptrū & moderamina regni
    Angligenûm, tradit magne Iacobe tibi.
Nempe tibi, quo non mage clarum ostenderat alter
    Christicolûm studium Papicolûmq; odium.
Felix illa animi, quæ excellens omnibus ipsa,
    Dum verum cultum numinis assereret:
Hunc successorem voluit, qui excelleret ipsi,
    Dum verum cultum numinis assereret.

Thomas Lydyate Novi Coll. Soc. in Art. Mag.

FLere iubes, & flere vetas, mea Musa: quid inde?
    Euripos varios heu mea corda cient.
Flere iubes Phœben, Phœbi me flere sororem:
    Aoniâ raptâ virgine, flere iubes.
Flere vetas Phœbum, Phœbes me flere sodalem:
    Aonioq; dato Principe, flere vetas.
Luna latet: Phœbus solando lumina præbet.
    Luna cadit: Titan lampade lustrat humum.
Nympharum regina perit, vos plangite Nymphæ:
    Non regit in terris diva Diana, perit:
Diva Diana perit? selegit Iuppiter illam.
    Credere vix possum: diva Diana perit,

Nomine mutato tantùm migravit in altum:
Cœlica regna, priùs Delia, Luna colit.

Thomas Maurice Magist. Art. ex Aula Glocest.

NVnc miser in lachrymas totus resolutus abirem,
Si quos exposcunt fletus tua funera, Princeps
Elisabetha darem, cui Curia tota parentat.
Sed stupet ad lachrymas dolor ingens; parva loquaces
Cura capit voces, & debacchatur ineptè.
Obruit attonitum pectus mœroris acerbi
Congestus cumulus, quid enim? jacet vltima proles
Henrici octavi, verissima patris imago:
In qua nobilitas à summis ducta Monarchis
Angliadum evasit maiorq; & pulchrior, vltra
Fœmineum sexum; si virginitatis honorem
Tam cupidè exoptent aliæ, castissima Princeps
Hæc potuit monstrasse alijs exemplar honesti.
Adijce Cecropiæ dotales Palladis artes;
Magnanimum pectus; cui munificentia dextræ
Accessit; pacis studium; cultusq; potentis
Numinis, adverso nihil impediente Papismo:
Relligionis amor; pietatisq; entheus ardor;
Quo simul incaluit (fremeret licet impia turba)
Dagone eiecto pia Princeps intulit Arcam.
Tum rata se salvam, firmum regnumq; futurum,
Cum foret excisum caput exitiale furoris,
Nec falso augurio spes illam vana fefellit,
Pace capit sceptrum, tranquillaq; regna gubernat,
Tandemq; in placida pace obdormivit Elisa;
Nunc sublimis ovat, subiectaq; sydera calcat,
Dum nos hic gemimus lachrymarum in valle dolentes.

Franciscus Everton Magist. Art. è Coll. Magd. Oxon.

TArdior insurgit post lætos *Musa* triumphos
Ad tristes Elegos, hic illius ardor hebescit,
Enthea vis animi torpet, sacriq; furores
Vatibus indulti me deseruere dolentem.
Ne tamen illustrem Reginam nuper, *Elisam*
Sic *Libitina* ferat totam, neu fictilis vrna
Angustet sacros cineres, famamq; sepultam
Occulat, invitis modulabimur ista Camænis.

TEstor *Eöos* populos sub ortu
Solis aurati procul hinc iacentes;
Testor & si quos freta *Tingitana*
Fluctibus vrgent:
Num quod Augustum magis aut tremendum
Nomen, illorum penetravit oras,
Fama quàm *Diva* sacra, quàm *Britanna*
Nomen *Eliza*.
Sive quis spectet sociale fœdus,
Regna quo pacem coëunt in vnam,
O quot ignotæ petiere gentes
Fœdus *Eliza*?
Sive quis Martis spolia, & triumphos
Hostibus victis numerare malit,
His adhuc, *Princeps Britonum*, per orbem
Claret *Eliza*.
Adde, quas hausit sitienter, Artes;
Adde Linguarum Logodædalæam
Fæminam, Genti *sua cuiq;* promptè
Verba sonantem.
Adde tranquillum sine strage regnum;
Virginis castos sine labe mores;
Et Dei cultum sine fæce purum,
Perpetuumq;.
Ergò perdatur manus impiorum
Ausa tam sanctum terebrare pectus;
Vosq; qui rerum bibulas novarum
Panditis aures
Nuncium infælix capite hoc, *Eliza*

Quòd

Quòd diem nobis obijt ſupremum,
Sed Deo ſemper, ſuper aſtra rapta,
Viva triumphat.

Robertus Barnes è Coll. Magd. Art. Mag.

In obitum ſereniſſimæ principis Eliſabethæ.

NOn opus eſt, Eliza tuas poſt funera laudes
Inſculpi ſaxo, quod tegit oſſa, tuo.
Oſtendat nudum lapidis lata area nomen,
Vt pateat, quo ſint membra repoſta loco,
In laudes ſat erunt pietas, & regia geſta,
Cognitio, virtus, relligionis amor,
Sancta fides, regni pax, & conſtantia mentis,
Virginitas, linguæ gloria, forma, decus.
Deniq; vita gravis, pia mors, in pace quieta:
Hæc ſatis ad laudes, Nobilis vmbra, tuas.

Champ. Gittins Art. Magiſt. Baliolenſis.

QVi ſiccis oculis tua buſta videbit, *Eliſa*,
De duro rigidum marmore pectus habet.
Nam tumulo iacet alma tuo pietaſq;, fideſq;,
Sinceruſq; ſacræ relligionis amor.
Quæq; tuos populos, mitis clementia, fovit.
Quæq; erat in vultu gratia blanda tuo.
Et quæ, cum triſtis Muſas vrgeret egeſtas,
Suſtinuit tenues provida cura Scholas.
Ergo ſui non falſum Academia pignus amoris
Offert ſupremo carmina mæſta rogo;
Quæq; tuos felix populos, te principe, fovit,
Sit ſucceſſori pax geminata, rogat.

QVis nobis lachrymas Padus miniſtret?
Quis fletus Thameſis dabit perennes?
Heû terræ cecidit iubar Britannæ,
Europæ decus, exteris ſtupenda
Princeps gentibus, & ſuis dolenda.
Cuius imperium, jugumq; ſuave
Per tot luſtra tulit beata Tellus,
Salſa quam Thetis ambit, extimaſq;
Cingit Oceanus Britannus oras.
Cui cœlo toties potens ab alto
Proſpexit Deus, et minis tumentes
Sacro numine diſſipavit hoſtes.
Nequicquam Latij dolos Tyranni,
Aut arma expediunt leves Iberi:
Sublimes animos *ELISA* fregit,
Detexitq, Lupi dolos Latini.
At ſub Præſide, læta, tam beatâ,
Diras Anglia fulminationes
Sprevit, & pelago graves carinas
Riſit fluctibus obrutas marinis,
Nec raptâ cecidere ſpes *ELISA*,
Regina facili, piâ, benignâ,
Cuius iuſtitiam ſacraſq; dotes
Magnus moribus exprimit *Iacobus*.

Rodolphus Barlow Magiſt. Art. è Colleg.
Corporis Chriſti Oxon.

VT cœlum omne ſuo et terras Sol lumine cōplet:
Regia ſic nulli facta latere ſolent;
Sed tamen & ſacro lateri qui Principis hæſit,
Præcipuâ teſtem convenit eſſe fide;
Tali ex teſte loquor, quem falſi nemo reprendat:
Cuius fixa meo pectore verba manent.
Sæpe vbi libertas privataq; copia veri,
Prodigus in laudes viſus, Eliſa, tuas:
Verbaq; conceptaſq; preces, & *ſemper eandem*,
Iuſtitiam meminit, conſiliumq; ſagax,

Ardoremq; ,fidemq;, & supra singula sexum:
Et plenum patriæ pectus amore pio.
Nonnihil hoc certè est: gaudebit & vmbra sepultæ,
Postera cum dicent secla fuisse bonam.

Gilbertus Hawthorn Collegij Corporis
Christi Socius. in Art. Mag.

In obitum serenissimæ Reginæ
Elisabethæ Epicedium.

EN quasi saxificæ conspexerat ora Medusæ,
Muta metu gens Angla stupet, Iovis ignibus icta.
Terra tremit, tremulasque faces sub nubila condit
Cynthia, nec Phœbus radiantia lumina spargit.
Distillat lachrymas resolutis nubibus æther,
Sidera, saxa, solum, testantur singula luctum,

Mæsta triumphales reticêre Britannia cantus,
Et fletus Hecubæ, Niobesque resumere planctus
Cogitur infœlix; charâ spoliata parente
Principe præstanti, intemeratâ virgine-matre,
Palladio cuius residebant pectore musæ,
Eius ad exequias pia iussa capessere natæ.

CIngunt multisonâ Parnassia templa cupresso,
Cingunt ceruleis pallentia tempora vittis,
Et laxis veniunt ad regia busta capillis:
Hæc stupet, illa silet, lachrymis introrsus obortis,
Apta loqui solum tragicos prius edita gestus
Melpomene loquitur; resonatq; per æthera planctus.

O quam te memorem, vitæ pars maxima nostræ,
Albionis Cynosura, caput, spes vnica, mœstæ
Fabrica naturæ pretiosa, columna Minervæ,
Pieridum columen, charitum laus, lumen, asylum,
Anchora certa tuis, & portus, & aura salutis;
Huius & alterius Phœnix mirabilis orbis.

O quam te celebrem, Princeps, Dea, Regia virgo,
Quidue prius celebrē? tot in illo corde micabant
Cœlica dona, fides, pietas, ſapientia, candor,
Artes cum linguis, & quas novus ille vel iſte
Continet orbis opes. ô dignum Pallade pectus;
O Iove digna hæres; quot, qualia, quanta ſciebas?

O patre digna tuo proles, quot, quanta gerebas?
Ter tria luſtra tuis *dominata es* pace Britannis,
Ter tria luſtra hoſtes ſuperaſti Marte feroces,
Et totidem famæ & fortunæ culmine ſummo
Stans invicta tuis Saturnia regna dediſti,
Obſtupeo recolens: quam ingentia dona tuliſti.

HAud mora, Tu patriæ, fuit & tibi patria chara,
Annulus illa tibi, tuque illi gemma refulgens.
Pacem, nomē, opes, placidam, ſublime, fluentes,
Te vivâ nacta eſt, & in his Tu mortua vivis.
Quid moror! inſignis virtus tibi inhoſpita nulla,
Nullaque virtuti fuerat Te charior hoſpes.

ERgo quid inde loquar? mens victa dolore fatiſcit,
Perdidimus gemmas, virtutem, atq; omnia, dum te
Perdidimus, tumulata tuo ſunt dona ſepulchro
Aurea, (*Eliſa* potens.) lachrymæ de fonte perennes
Currite perpetuo; lachrymarum flumina tantum
Teſtentur damnum, gemitu feriamus olympum.

DEflere ſi fas funera principum,
Deflere te fas, optima principum,
Quam dum vita ſuperſtitem fovebat,
Muſæ omnes, Chariteſque nutriebant.
Heu quale ſydus perdidit Anglia?
Orbata quanta Eccleſia Principe eſt?
Talem nulla dabit dies parentem
Qualem hæc abripuit dies Britannis.
Ergo querelis proſequimur pijs
Sortem invidentem principibus bonis.
Sed ceſſent lachrymæ, vices beatas
Florenteſque dedit Deus Britannis.

SPes perit haud exspes tamen est gens Angla; Iacobus
Spes iubet esse ratas, quia viuit *Elisa* Iacobo.
Se dignam hæredem statuit Deus almus *Elisam*,
Se dignum hæredem statuebat *Elisa* Iacobum:
Hic regit Angligenas, solio stabilitus avito:
Illa beata regit, cœlo pro sede potita.

MOrtua Elisa semel, sed bis rediviva, triumphos
Et cœlo et terra ducis vtrinq; tuos.
Vt cœlis sis viva, dedit tibi gratia Christi:
Vt terris, virtus, non moriare, facit.

NOmen Elisa fuit, sed nomine numen in illo est,
Mente imitata Deos, cum Divis numen Elisa est.
Sors tua dextra dei est: Eliæ fertur Elisa
In superum rapidis capitolia sancta Quadrigis.

QVid tot in orbe Deæ numerantur? Elisa sepulta est:
Nulla igitur toto est orbe relicta Dea.
Occubuisse Deam scelus est dixisse; quid ergo?
Dicere, se, fas est occuluisse Deam.
Ergon' Elisa perit? potius petit æthera; tantam
Sedibus in superis convenit esse Deam.

Τετράστιχον Τάφικον

Ἔστι θεοῦ δῶρον Τυδῶρα, θεὸς λάβεν αὐτὴν,
Ἐν μεγάροισι θεοῦ συμβασίλευε θεῷ.
Σῶμα γὰρ οὐ ψυχὴν πλήττει θανάτοιο βέλεμνον
Σῶμα Τάφος, ψυχὴν θεῖαν Ὄλυμπος ἔχει.

Chronogr. Ang. ad Reginam: A. D. 1603.
Mea DeCessIt terrIs RegIna.

AH, mea decessit terris regina; quid obstet
Quò minus optatam carpat ad astra viam?
Aurea terra fui, gemmæq; nitore coruscans,
Sum marmor, gemma non radiante, stupens.

 Cyn-

Cynthia nostra solum velut alma Astrea reliquit,
Heu status Angliadum quam lachrymabilis?
Sol novus in nostrâ spargit nova lumina sphærâ:
Euge vices Britonum sunt stabiles satis.
Sintq; diu precor; vt tam regna beata sequantur
Quàm dea Eliza dedit, vel magè prospera.

Rich. Carpenter. Coll. Exon. Socius.

VIrtus, Maiestas, Mulierum gloria, Regum
Invidia, & Chronicon laudis Eliza iacet;
Funus ad illius lachrymas & vota parento,
In laudem cuius carmina vita dabit.
Nam, cum centurias dederim, restare videbo
Centurias: tantæ laudis Eliza fuit.
Quattuor historijs nostris numerantur Elisæ
Symbola, quæ *Phœnix, annulus, atq; globus,*
Postremum vero *Sciotericon*: Aurea *Phœnix*
Cum titulo, *Sine spe posse redire novam,*
Prævidit mortem, mortalem agnovit Elisa;
Inq; istam cuncti cogimur ire fidem.
Annulus alter erat: *Solidum volo* (verba) *perenne*;
Idq; tuæ sortis Sacra Sybilla, tenes.
Tertius inde *Globus*, cui triplex stella nitebat;
Stellaq;, stelliferum, nunc tenet illa globum.
Me trahit Altus Honos: vox illi vera canebat,
Quàm nitet in cœlis, altior vllus honos?
Postremum steterat, numerans *Sciotericon* horas,
Voce, *Sumus*: verè scribat Elisa, *Sumus*.
Ante fuisti. Erimus. Tu impermutabilis, illud
Absq; horologijs ingeminato *Sumus*.

Tho. Adams in LL. Bacc. Iohannensis.

NEc absq; merito: Nam quis immanis Cyclops,
Potiusuè dicas, quis silex durus genas

Lacrymis rigare nolit in tantis malis?
Regionis Anglæ ſplendor, Europæ decus,
Mundiq; Phœnix cecidit in cineres; êheu
Periphraſis iſta, metuo, ne Eliſabeth ſonet.
Ah dura fata, quam bonis rarò bona!
Nil niſi bonorum cumulus Eliſabeth fuit,
Pia, iuſta, prudens, mitis, & cives amans,
Interq; reliquas, caſta, virtutes erat.
Nec tamen Elizæ ſtamini immitis dea
Clotho pepercit: Tanta ſub gremio fremit
Invidia Clotho? nimis, & incaſſum fremit.
Adhuc Eliza vivit, & vivet diu;
Id fama curat ſcilicet, Clotho freme.

Martinus Okin Sacra Theol. Bacc. Iohannenſis.

SIcciné ſacrilego Mors fœdet vt omnia tactu?
  Vtq; regat ſceptro Regia ſceptra ſuo?
Vt longâ ſerie Regum generoſa Propago,
  Vt Virgo, vt Princeps, vt Dea Eliſa cadat?
Certa ſalus populi, Cor, Votum, Vita, Britanni;
  Certa Ruina, Dolor, Carnificina Papæ:
Egregiè dilecta Deo, ſanctiſſima rerum,
  Deliciæq; hominum, cœlituumq; decus;
Fama peregrinis cuius percrebuit oris;
  Indigenis cuius quám-pretioſa ſalus.
Floruit imperio; Sed Mors famoſa Tyranna
  Imperium imperio ſubijcit omne ſuo.
Claruit eloquio: ſed Suadæ neſcia flecti
  Viribus, eloquium Mors reticere iubet.
Legibus imperium ſtabilivit: ſed (velut exlex)
  Omnia Mors nullâ lege perindé rapit.
Relligioſa fuit: ſed Mors quæ cuncta prophanat,
  Ignorat, quis ſit Relligionis honos.
Annorum benè plena fuit: ſed negligit annos
  Mors fera, canitiem nec reverentèr habet.

Mu-

Musarum Ara fuit: sed non ita candida Musis
Mors, largo illarum nunc rigat imbre genas.
In medijs vixit semper-secura periclis:
Sed Mors securum vix sinit esse Iovem:
Hostes non rarò vicit: sed vincere Mortem
Non potuit; Mortis vincit, vbiq; manus.
Pacis Alumna fuit: Sed respuit impia pacem
Mors, cum Pacificis effera bella gerens.
Et nunc æternâ fruituris pace Britannis
Linqueret vt Pacem Regia virgo suam,
Non semel Hæredem testata est voce Iacobum,
Iam iamq; Aethereas introitura domos.
Solus is est, cuius meruit succedere virtus:
Cuius & in nostro pectore ludit amor.

Ioannes Raulinson Ioannensis. Art. Mag.

SIc est: nec prodest luctus; decessit Eliza,
Decessit, populi cura, dolorq; sui.
In lachrymas se solvat Isis, tristesq; querelas:
Fluctibus exhaustis, luctibus illa fluat.
Mittat & ad Thamesim cognatam, flebile carmen:
Quo plorent Nympham littora mœsta, suam.
Musarum perijt Dea; sed successit Apollo:
Quis posset Musam, credere, posse mori?
Nec tamen Hæc perijt, tantùm disparuit Illa:
Manibus atq; pijs annumeranda manet.
Non secùs occiduas, cum sol pervenit ad oras,
Lustrat adhuc radijs, infera regna novis.
Nam pietas Mentem sanctis admiscuit vmbris:
Elysium felix intrat Eliza nemus.
Æterno, stellas inter, Mens fulgeat Astro;
Principis, & caleat thure favilla pio.
Castaq; quod castis inservit Musa sepulchris,
Regia dignentur carmine busta tegi.
Non quod laus egeat nostro, tua, carmine; laudes
Musâ, Nobilitas ipsa, tacente canet.

Mascula vis; victrixq; manus; mens arte referta;
Fœmineum regimen; virgineumq; decus.
Relligiosa Deo; Bona sanctis; omnibus Æqua;
Casta sibi; regno Provida; Chara suis.
Vidi ego, cum superas ascenderet Illa per auras;
Conspersum sertis, omne rubebat iter.
Tantaq; debetur castis reverentia; dignum
Tanto, illibatum corpus, honore fuit.
Nec sterilis, quamvis virgo; virtutibus aucta,
E spicâ Virgo, splendida serta gerit.
In breve tam subito convertitur Aula sepulchrum;
Ætheris at mentem, largior Aula tenet.
Sic fuit; Henricus vicibus tot floruit olim;
Hæc quot Regalis vox, elementa capit.
Sed totidem perijt; Duo sunt quos lugeat omnis
Ætas; Elizæ est hic Pater, alter Avus.
Sic erit; at serò veniat; duplicesq; Iacobus
Vt regni fines, sic habeatq; dies.
Exigerent (Princeps) vitam mea vota perennem:
Sed rata vota magis, quæ moderata magis.

Richardus Andros Art. Mag. Iohannensis.

ANglia quis tanto poterit modus esse dolori?
Cambria, quis lachrymis terminus esse tuis?
Anglia defunctæ videas cum funus Elisæ,
Cambria Tuderæ tristia fata tuæ.
Vtraq; gens & habet, nomen quod ploret vtrumq;,
Nomine tam felix omen vtroq; fuit.
Quinque quid hic tragicos in nomine cernimus actus Elisa Tyder
Vtroq;? atq; actum littera quæq; notat?
Actum est fœminei sexus, decus omne peribit
Hac vnâ vestrum virgine: quid superest?
Actum est magnanimi ciues; nam gentis honores
Hac vnâ pereunt principe. Quid superest?
Actum est ô sancti, lux relligionis in vno
Tollitur extincto lumine. Quid superest?

Actum eſt ô proceres, aufertur funditùs omnis
Nobilitas vno hoc ſtemmate; quid ſupereſt ?
Actum eſt ô Muſæ, veſtrarum præmia laudum
Vno tolluntur tempore; quid ſupereſt ?
Vtraq; tam tragicos dant nomina partibus actus,
Quæq; , actum eſt partem pars putat eſſe ſuam.
Actum eſt, quiſq; ſonat, pereo miſer, ilicet actum eſt,
Anglia tota ſimul te pereunte perit.
Hæc Anglis Cambriſq; tragædia vera fuiſſet,
Quam mors, & toti flebilis iſta choro?
Ni deus Angligenis vitam poſt funus Eliſæ
Miſiſſet, ſubitam poſt grave vulnus opem,
Atq; Tuderæo natum de ſanguine regem
Cambris: quem genti miſit vtriq; pium.
Is ſupereſt Anglis, ſupereſt Cambriſq; ſuperſit,
Ne videant, actum eſt, ſaluus vtriſq; diu.

PRincipe virginitas magnum eſt, in virgine magnum
Nobilitas, magnum eſt nobilitate decus.
Nobilis es, virgo, Princeps, ter ſplendida: verùm
Omnibus his maius, relligioſa fides.
Omnia nempè tibi, vel te mors abſtulit hiſce
Omnibus: at tecum poſt tua fata fides.

VIuens Britannis omnia quæ dedit,
Vnum Britannis hæc moriens dedit:
Vnus, Britannis quem moriens dedit,
Semper datis ſed par erat omnibus.

REgia ſceptra tibi dedit hæc Richmundia, Tuder,
Abſtulit atq; eadem quæ dedit, illa tibi.
Sceptra tibiq; tuiſq; dedit Richmundia, Tuder;
Sceptra tibi, ſed non abſtulit illa tuis.

ELiſabetha tuis perijt, Venus alma, calendis;
Cur? quòd virgo meos ſpreverat illa iocos.
Eliſabetha tuo cecidit Mars menſe: rogas cur?
Quòd Regina meos ſpreverat illa iocos.

Quod

Quòd virgo Venerem, Martem regina quòd odit,
Iuppiter hinc proprio das tua regna die.

SI Niobe in saxum, quòd mater, versa dolore est,
VVallia q uid ni iam saxea tota fiet!

Nos canimus laudes, cumq; his nos laudibus Orbi,
Totus habet laudes Orbis Elisa tuas.

SOcratis immotos mirata est Græcia vultus,
Anglia tam constans pectus Elisa tuum.
Ingenium, immotos miretur & Anglia mores,
Ast ego non miror, *semper eras eadem.*
Si tu semper eras eadem, mirabile non est,
Quo d fieres vivens et moriens eadem.

Thomas Gwynne Coll. omnium anim.
Soc. in Art. Magist.

O Mihi lapideũ pectus, & cerebri lutum,
Oculiq; lapides, in quibus abundè dolor
Concepta, cogitata, nec lachrymas movet,
Fortasse reges flere non didici; magis
Idcirco flerem. Rarior, maior dolor.
Regina (memorem Te lubens, sed sic memor
Fuisse te, non esse, suspirem lubens.)
Regina, regum filia, & virgo, & senex;
Parum ista? Patre maximo maior, soror
Sorore melior, fratre ter senior, Pater
Cum rex, soror Regina, rex frater forent.
Parum ista? cunctis non in historijs parum.
Ostendite parem, Χρόνος ostendat parens.
Regina tandem tanta, cui nomen sonat
FÆMINA DOMUS Dei, è domo egressa est dei — Hebraicè.
Illuc reversa est. Vastitas quænam loco
Eius relicta? Ne foret, grandis timor
Hinc inde fuerat, sed Domo prisca Dei

Ezech.4. Aquilone positus Ille Thesaurus fuit,
Qui vastitati remedia insolitæ daret.
Domus illa verô qualis? In petrâ stetit.
Tu Pseudo-Petre dimoue, hoc solo Petrus
Nomine, magistrũ quod negas. Verum effodis,
Et in hanc * retorques de petrâ lapides suâ;
Sed frangis illos. nec tripartitâ manu
Succutis; Elisa steterat illæsa, & magis
Dum læsa læta, fortior nempe extitit.
At curialis hæc Britannorum Domus,
Hæc * C A N D I D A A V L A curia Anglorum optima,
Sublapsa nunc est, mixtaq; ruderibus. Sed hinc
Regina, lapsum prævidens, aliô redit;
A N I M A & in aulam *D I V I T I S M O N T I S* fugit.
Sed quo impotentes non queant medicam sequi;
Strumosa turba quis tibi Princeps opem
Feret? quis aurum collo amuletum dabit?
Transfusa nisi sint in Iacobæam manum;
Ac * donum Elisæ redeat in * Pyrrhi pede.
Tranare miserum est, Galliç ad regem, mare;
Paupercularum turba mulierum, tibi
Suâ * quotannis nummulos, vestes, manu
Dabat, induebat. Numquid hæc alibi solent
Reginæ? at illa sedulo. Micas tamen
Propono laudum illius, at micas modô
Proponit ille qui fatigavit suam
Laudando linguam. Quicquid effundi potest,
Vnguis Leoni est, Castitas, Pietas, Amor
In subditos, Relligio, Maiestas, Decor
Corporis, & animi, Cognitio, Linguæ Ennium
Supra, Triumphi, mira ab insidijs foris
Domi incolumitas, sæculo nostro satis
Cognita, nec ipso (vt terra) clauduntur mari.
Legatus omnis stupuit, absentes stupent
Reges ab Anglâ fæminâ vinci, stupent
Hostes; & ipsi qui familiarem nimis
Memoriam habemus principis tantæ, magis
Mirabimur eam postmodum. In præsen s nihil

* Fugitiuos elicit, suspendendos remittit Anglos.

Ibi mortuæ feretrum collocatũ.

* Plutar.

* Medendi huic morbo (vulgo the Queenes evill) solis Angliæ & Galliæ regib. datum.

* In festo Palmar.

Nisi

Nisi lachrymarum soluite exequias. Vetat
Lachrymas nec hæres, qui pius, quisquis negat
Lachrymas Elisæ, proditor Elisæ fuit.
Vel proditores (Credo) defunctæ dabunt.
Seruos beatæ Virginis sese vocant
Hi proditores; nomini si quid favent,
Deipara non est, sed Dei nutrix fuit
Elisa virgo; summa ei quæ Laus fuit.
O Quam te memorem Virgo!

Sed quisquis oculus tędium in chartis putas,
Manibus Elisæ, non tuis manibus dedi.

Ioannes Sansbury Ioannensis in Art. Mag.

MIrabar linguas siluisse, arescere pennas,
Cæcatos oculos, & corda oppressa dolore.
At ratio in promptu est: horum solamen Elisa
Succubuit fatis: cuius libavimus olim
Linguis, penna, oculis, & corde, lubenter ad aras.
In cuius sacrâ diuini pectoris aulâ
Virtutum almarum perfectio tota resedit.
Nec cadit in quenquam vulgari dicere versu
Tantarum rerum pondus: Cœlum stupet ipsum,
Miraturq;, Deam quòd Tellus parturit istam.
Hæc plusquam bona, fit Bonitas: sine sordibus Aurum:
Fœmina, sed * Constans; humana in imagine, Numen:
Et (quo nil poterit dici præstantius) *Illa*
Illa fuit Britonum Princeps prælustris Elisa.

* Semper eadem.

Abel. Treffry è Coll. omnium anim. in Art. Magist.

QVis fontem eloquij Mercurius dabit,
Vt dignis celebrem funera laudibus?
Cui non est lachrymarum Oceanus satis,
Vt iustis decorem funera luctibus.

Prin-

Princeps heu cecidit gloria principum,
Per quam ius,pietas,relligio ſtetit:
Sexus heu perijt fœminei decus,
In qua forma,pudor,gratia claruit.
Princeps magnificis ſplendida dotibus:
Heröina pijs prædita moribus.
Nulla potentior,
Nulla politior,
Nulla peritior,
Extitit vſpiam.
Cum primùm ſolio,quod dederat deus,
Confirmata ſuo regna capeſſeret,
Antiquam fidei Catholicæ ſuam
Lucem reſtituit. Quod luteum modò
Regnum compererat, marmoreũ facit:
Et pacis ſtabili federe perpetim
Duraturo (*vtinam!*) perbeat imperans
Aſtrææ ſimilis iura dedit ſuis:
Decrevitq; bonis præmia,at impijs
Pœnas,vt melius protegeret bonos.
Laurea Apollinis
Germina protulit:
Gloria Palladis
Inclyta floruit.
Quæ Muſas coluit, Muſa mori vetat:
Ergo Pieridum filioli ſacri,
Quam vivam obſequijs excoluiſtis,huic
Defunctę exequias ſolvite debitas;
Hũmanum meritis ingenium illius
Impar eſt,fateor,par tamen eſt amor.
Dum per luſtra novem magnificâ manu
Princeps hæc tenuit ſceptra Britãnica,
Mars,Bellona,furor,fax,gladius,fames
His noſtri imperij finibus exulant.
Pax Borealibus
Floruit Inſulis:
Non tuba bellica
Terruit Incolas.

CVm forent terræ madidæ cruore,
Cumq; Papales tenebræ valerent:
Cœlitus missa est populi ad salutem
Elisabetha.
Cæde sedata, tenebris fugatis,
Pace firmata, nebulis repulsis,
Transit ad cœlos, superasq; sedes
Scandit Olympi.
Quem cruentatum populum recepit,
Hunc triumphantem populum reliquit:
Heu quis amissâ satis ingemiscat
Principe tanta?
Grata plùs nunquam, neq; gratiosa
Extitit mater, pia sive princeps:
Subditos an plus amet, aut ametur,
Ambigo, ab illis.
Quà tegit Pontus, retegitq; lucem;
Fama vis, virtus, colitur, timetur,
Fulget: & toto celebratur orbe
Nomen Elisæ.
Fœminam, solam, invalidam præesse
Gentibus tot, tam bene, tot per annos:
Sera vix credet soboles: stupebit,
Si modò credat.
Ars fuit quævis bene nota; nulla
Lingua eam fugit: satis vsq; fecit
Ore Legatis proprio (ô stupendum!)
Omnibus vna.
Numinis cultrix fuit, ara iuris,
Fons boni, vitæ speculum, arx piorum:
Non sonant isthæc muliebre pectus:
O dea certe.
Si tuus seclo hoc (Stagirita) felix,
Seu Solon posthac (tuus) extet: illa
Bis beata: hoc mors pia, vita sancta
Indicat illud.
Vita mors visa est, quia mortis vmbra est
Grata mors, vt quæ via vera vitæ est:

Cœli-

Cœlitùs nam mens oriunda ſpirat
Nil niſi cœlos.
Vinculis & iam, quibus alligata eſt,
(Corporis pertæſa iugum) ſoluta
Evolat cœlum ſuper Empyreum
Candida virgo.
Palladis, vos vos monumenta, alumni,
Digna reginâ *ſtruitote* tantâ:
Vos & ô cives celebrate pompas
Exequiales.
Plebs dolet demptam patriæ parentem:
Literarum vos, columen decuſq;:
Ecce par luctus datur anſa vtriſq;,
Sed gradus impar.
Annuas laudes celebremus omnes,
Poſteri vt famam recolant: nec vnquam
Deleat nomen Libitina ſacrum
Eliſabethæ.

Robertus Vilvain Artium Magiſt. è Coll. Exon.

MEns dudum ebria triſtibus querelis,
Tellus fœmineo obvoluta plāctu,
Si ſolatiolum exhibere poſſint;
Vel ſqualentibus imperare læta:
Læti funera proſequemur Angli,
Auguſtiſſima Eliſa, ocelle ſecli.
Sed luctum geminant acerbiorem,
Eheu vlcera! lancinantq; mentem:
Præceps in lachrymas liqueſcit orbis;
Pontus terra, polus gemunt querelis;
Mœſti funera proſequemur Angli,
Auguſtiſſima Eliſa, ocelle ſecli.
Lugent Naiades exulaſſe nympham,
Terrarum decus, & maris potentem:
Quæ reges, proceres, deos deaſq;,
(Huius quid memorem, & prioris ævi

Mu-

Musarum eximios licèt patronos?)
Zelo sanctior eminentiori,
Maiestate gravi, beatiorq;
Miris dotibus anteivit omnes.
Quin te, flumineus velut canoro
Cantu luget olor, sequamur Angli,
Augustissima Elisa ocelle secli.

Ad Papistas in omnium gemitu lætantes.

Παπτολάτραι τίνος εἵνεκ' Ἐλίσης ἐυχετάασθε
Μοίρας; πῆμα κακοῖς κάσπεσι Παπτολάτραις.
Ἥτε βίῳ Παππῶν πολυμήχανον, ἥτε τελευτῇ
Πλέξατο· Παπτολάτραι ὡς ἀπόλοιντο ἀεί.
Χαῖρε θεὰ, κῦδός τ' Ἀγγλων, καὶ θαῦμα γυναικῶν,
Ου θάνες, ὀψομένη ὑρανίωνα θεόν.
Μίμνει ἐν ὀψιγόνοις ἀρετῆς ἐρικυδέα δῶρα,
Καὶ στέφος ἐν μακάρων ἀϊδεόντε δόμῳ.
Ἐμπνόα, ὦ σκύλακες, μὴ δήποτε ἄπνο' Ἐλισα·
Τ' ἄλλα μάκαιρα, μόνῳ κάλλιπε πῶμα τάφῳ.

Thomas Peacocke Artium Magister è Coll.
Ænea-nas.

ECce Dionæi processit Cæsaris astrum:
Optima grandiloqui Musa Maronis ait,
Veriùs at nuper sidus processit Elisæ,
Quæ magè Cæsareô sidere clara micat.
Nec contenta loco, quem cingunt proxima Libra
Et Leo, quâ sedes panditur Erigones,
Vlteriùs tendens, dum sphæras transmeat omnes,
Emicat, & summo iungitur ipsa Deo.
Nempe diu vivens defendit dogmata Christi
Angligenas pura relligione beans.
Felix iustitiâ, felix & amore piorum,
Et felix moritur, vixit vt ante, Deo.

VT *Semper* maneas *eadem* ſperamus *Eliſa*,
Quamvis exuvias corporis vrna tegat.
Regnaſti quondam, nunc regnas addita cœlo,
Sic non deterior ſors tua facta tibi eſt.

Samuel Baylye Art. Mag. Nov. Coll. Soc.

CErnitis, ùt nuper ruperunt ſtamen Eliſæ
Sortitæ nimium regna ſuperba Deæ,
Quàm ſubitò exueret niveas Reſpublica veſtes?
Quàmq; ſuas flerent tecta, domuſq; vices?
Cætera dum mœrent, quid ages Academia? nunquid
Nulla tibi tanti cauſa doloris adeſt?
Si potes, aude aliquid vel tantâ principe dignum,
Vel ſaltèm extinctam te doluiſſe refer.
Hac ſine Pieridum pauper chorus inclytus eſſet;
Et deſerta foret, turba diſerta licèt.

NEC vivit, neq; mortua eſt Eliſa,
Occumbat licèt: (hæc notet ſophiſta,
Quòd contraria convenire poſſint)
Vivit; nec pietas mori, decuſvè
Doctrinæ ſinit, aut amica virtus.
Verum nunc moritur: piam ac beatam
Sed mortem moriens, quieſcit umbra
Iàm felix Domini in ſinu ſupremi.

Antonius Barker Artium Magiſter
Novi Collegij Socius.

ERgò triumphales redimita, Thalia, corollas,
Quamvis lugubri voce rogata, venis?
Diſtulit, (heu) triſtis lætos libitina triumphos,
Non levis invaſit cauſâ ab vtrâq; dolor.
Ferali laurus non-tempeſtiva Cupreſſo,
Et, ſi fas, toto cedat ab ore nitor.
Fingere ad exemplar lugentis, *Muſa*, Iacobi;
Ad luctus vltrò, ad regna rogatus, adeſt.

Aſpi-

Aſpicis vt mæſto deducit funera vultu,
Vixq; pium vt capiat mens generoſa malum.
Fata retexantur; regno decedet avito,
Tam claræ hæredem principis eſſe piget.
Quod dolet, huic demptum noſtro adde, Thalia, dolori;
Nos illud potiùs turba feramus onus.
Nil hûic ſuſcepti contriſtet gaudia ſceptri;
Hoc, cui lugetur, Principis vmbra rogat.

Anima Eliſabethæ ad Iacobum.

Mors mihi mundus erat, mihi mors erat altera corpus,
Nunc mihi mors mortes exuit vna duas.
Tu gratare meo (Pietas iam cognita) fato,
Quaq; ego præceſſi, nitere ad aſtra viâ.

Hæſit, (ſi verum,) tibi ſacro in gutture morbus;
At gula nulla fuit luxurioſa minùs.
Frigida torpebat ſub inerti lingua palato;
At non vlla fuit noxia lingua minùs.
Debueras ſi parte mori quâ noxia, parte
Nullâ debueras, Eliſabetha, mori.


CLarior Eois ſolito quòd Phœbus ab Indis
Emicet, & nitidi ſpacium dimenſus Olympi,
Proſpera venturæ pingat præſagia lucis;
Parciùs Hippotades quòd miſerit Æolus Auſtros,
Nec riget Aprilis maiori aſpergine terras,
Quàm ſatis indigenis campos redimire corollis,
Cauſa, dies ſuperis feſtus; cui numina cultus
Cuncta ſuos, diveſq; ſuos natura miniſtrat.
Tranquillam ſuperi mortem gratantur Eliſæ,
Et quòd inoffenſæ decurſo tramite vitæ
Per regni illecibras, per tot diſcrimina rerum,
Spiritus ad ſuperas evaſerit integer oras.
Scilicèt hoc meliùs, proprio intabeſcere fato,
Quàm venis Româ miſſum excepiſſe venenum
Aut improviſum ſtridere in pectore ferrum.
Sin neq; mortales, Diva, averſeris honores,

Nec modico cre vetes vitę præconia ſtringi,
Quam tibi debebas, quæ ab avis tibi gloria fulſit,
(Adſpira) experiar properato exponere verſu.
Splendida quàm Generis ſeries ab origine primâ
Surgit? maiorum qualis pertexitur ordo?
Ille triumphatis referebat lilia Gallis
Et titulos ferro flammâq; probabat avitos,
Gallis, qui primâ ſoliti conſiſtere pugnâ
Mox fuſi cedunt, inhoneſtaq; terga Britannis
Vertunt, ſed pugnam imprimis dum inſtauret Achilles.
Ille bonos-iaculis Hybernos Marte coercet,
Nec nemora eripiunt victos, putreſve paludes,
Quæ temerè infuſos hiſcente voragine condunt,
Arma laboranti pulchrum ſubmittere Chriſto,
Pulchrum armis Sanctâ Mahometen pellere terrâ;
His quoq; Maiores, his Anglia nobilis armis.
At poſtquàm regnum proles numeroſa paternum,
Sed magis ambiguum regnandi immenſa cupido
Fecerat, heu quantis exhauſti cladibus Angli?
Luxuriant raræ civili ſanguine meſſes,
Oſſaq; cæſorum quovis violantur aratro.
Nemonè tam diras potis es componere lites?
Diſcordeſq; roſas medio miſcere colore?
Tu, Divine Henrice, potes; tu iungis in vnum
Armatas in bella manus; tu more Camilli
Diverſo, patriæ votis revocatus, ab orbe
Exuis imperio, caſtris, vitâq; tyrannum.
Hinc pater, Eliſabetha, tuus molimina regni
Suſcipit, ille togâ proavis æquandus & armis,
Relligione prior; Romanæ iuſſa Cathedræ,
Semiviroſq; patres, rubei faſtuſq; galeri
Excutiens Anglis; Anglos ſervire Tyranno
Servo Servorum? Belli Anglos fulmina, Bullæ
Fulmina curare imbelli contorta lacerto?
Huius bella crepant, baculo quos prona ſenectus
Inclinat; gaudent hauſti meminiſſe laboris,
Et ducis auſpicijs gaudent, & parte decoris.
Non populo, aut templis, aut Muſis gratior vlla eſt,

Quam si qua Henrici decantet nęnia nomen.
Ergò genus quantum in seros conferre nepotes
Et proavi possunt, nascenti affulsit Elisæ.
Et quantum in proavos possunt conferre nepotes
Marte suo partâ virtute rependit Elisa.
Ægea quàm Theseus, quàm factis Pelea Achilles,
Quamq; Tyrum Carthago infelix æmula Romæ,
(Quæ, si vera loquar, clari, indignatio, manes?)
Tantum *Virgo* viros, genitorem *Filia*, vincit.

Anima Elisabethæ pinnata ipsa de se & repub. atq; ecclesia bene gestis.

Sceptrum non gladius, non dolus, aut ambitio impotens,
Sed Filiæ *Ius* & *Deus*, patrium, dabant.
Tum fidus datur, & pius senatus.
Tēplis prisca redit relligio; quies
Musis, & populo stetit
Sceptra tenente
Elisa.



Te, Ibere,
Improbe Ibere,
Ventis, te tumido mari,
Et iustum scopulis ludibrium dedi.
A te vindico Flandriam tyranno:
Ferrum, venenum, vis, dolus, *Bulla*, *irrita*.
En, *BVLLÆ* fatuo fulmine nil læsa polo fruor.

Gratulatur sibi super Cælibatu.

ÆNec nunquam fratri convicia dixi,
Num deërant pharetræ tela Cupido tuæ?
Aut sunt lecta tuis contraria spicula votis?
(Scilicet & cæcus diceris esse puer.)
Aut nullâ, aut quali quondam Penēia Nymphe,
Cum Phœbum fugeret, cuspide læsa fui.
Hinc mihi vita minùs multis exercita curis,
Et colo nunc superas gratior vmbra domos.

Hinc mihi adoptivus iustâ pro prole Iacobus,
 Virgineam hinc animam *Virgine Natus* habet.

GAudent Cœlicolæ severiores
Quòd nunc deniq; tu polo recepta es,
Exemplar probitatis & Sabinis,
Exemplar sapientiæ & Minervæ.
Bacchus, si pudor est, minùs capaces
Siccabit calices, vidente Elisa.
Non pugnas ferus Hercules ciebit,
Nec Mars, si pudor est, vidente Elisa.
Non Taurum induet ille Rex Deorum,
Non Ledæ induet albicantem olorem,
Nullo zelotypæ torum sororis
Posthàc pellice fabulâve lædet.
Mores intulit, intulit pudorem,
Et cœlum intulit ipsi Elisa cœlo.
Torquet lis animum; expedi sophista;
Isto me recipi velimne cœlo,
(Nam illo, quod fuit ante, non placebat)
Aut hic vivere rege sub Iacobo?

NOndum Cumææ numeràras virginis annos
 Et tamen (heu) propero funere Elisa iaces.
Nondum longævi numeràras Nestoris annos,
 Et tamen (heu) animæ corpus inane iaces.
Redde fidẽ Lachesis, redde artes, redde Camenas,
 Impleat vt iustos vita reversa dies.
Quàm propè adhuc vacuus currebat stamine fusus?
 Quamq; colus niveo vellere plenus erat?
Cum tamen abrupto properanti pollice filo,
 Scanderet æthereas nobilis vmbra domos,
En pietas; fuit inde ætas contractior; annos,
 Quos populo dederat, dempserat ante suis,

R*Egina* moribunda *Malo* afflictatur Elisa;
 Tolle Charisma potens, hoc, age, tolle malum.
Solùm struma *Malum hoc*? non quo Regina peribit?

Aut

Aut sua victa *Malo* terga *charisma* dedit?
Non dedit; vsq; potens *Gentile Charisma* vigebat;
Sed fuit hæc tibi mors Elisabetha *Bonum*.

Robertus Pincke Nov. Coll. Soc. Mag. Art.

O mundi decus, Angliæ columna,
Princeps Elisabetha, Diva princeps,
Vivis (nil dubito) beata Sancta,
Vivis cum superis, repleta cunctis
Veris delicijs, bonisq; veris:
Donavit (fateor) Deus benignus
Immensam tibi gloriæ coronam,
Et (quod principium est) dedit seipsum.
Concedo omnia: Sed quid hęc ad Anglos?
O mundi decus, Angliæ columna,
Princeps Elisabetha, diua princeps,
Olim, non tibi vixeras, sed Anglis.
Quandò nos regeres potente sceptro,
Felix Anglia, tum fuit Senatus
Felix, Nobilitas, supremus, imus,
Felix Pastor, ovis; Thalia felix,
(Testor pręmia comparata Musis
Et semper nova collocata) felix
Bellis miles in omnibus triumphans,
Felix ruricolas agens iuvencos,
Et qui nave redit bonis onustâ,
Felix omne genus tuorum, & ætas.
O mundi decus, Angliæ columna
Princeps Elisabetha, diva princeps.
Olim non tibi vixeras, sed Anglis.
Non hæc commemoro tamen, quasi nō
Anglis denuò viveres: & Anglis
Vivis iam, Elisabetha, vivis Anglis,
Sed (quod nos dolet) haud, vt ante, vivis,
Hoc semper dolet, & dolebit Anglos.
O mundi decus, Angliæ columna,

Prin-

Princeps Elisabetha, diva princeps
Olim, non tibi vixeras, sed Anglis.

Vnctos meos nolite tangere. Psal. 105.

NE *tangas* (Deus ipse dixit) *vnctos*
Meos: audiat ista, si velit, Mors,
Attende (Impia mors) Deum loquentem,
Tu *tangis* tamen, & Dei *angis vnctam*?
Ne dicam gravius, scelus patrâsti.

H. Iordan Soc. Nov. Coll. in LL. Bac.

SOl Mundi Borealis erat, dum vixit, Elisa,
Aureus elapsi Temporis omnis apex.
Sed quæ tanta sui, tam fulgida pars fuit orbis,
Iam, contenta suo munere, stella micat.
Stella micat, trahit & spatioso limite crinem
Famiferum, cui dat Iulia flamma locum.
Nescia fama premi nunquam descendat Elisæ,
Sole Iacobæo nunc oriente licèt;
Nunquam descendat pariter cum Sole Iacobo;
Tantùm Solis (& est hîc tamen artis opus)
Offuscata cadat nimio splendore Iacobi;
Occidat, hìnc tantùm fiet, vt Heliacè.
Tempore non vllo, Mundi non occidat oræ:
Occidat, hinc tantùm fiet, vt Heliacè.

MVse, donne salut Guillaume de Saluste,
Et vous luy en prie, de donner beau lustre
A' ton dire François pour le los dernière
De la Roine des Anglois, en fame première,
La grand' Elizabeth, princesse docte, sage.
Il ne fault seulement en Romaine langage
Prendre ton los royal, & tres-auguste fame,
O clair' Elizabeth, qui estant vne femme
Pouuois bien sur le champ haranguer en Latin,

Grec,

Grec, François, Hespagnol, Tudesque, & Florentin.
Et elle trespassée ? le trespas pleust à Dieu
Que la eust tres-passée commandement de Dieu,
Elle est tres-passée ; laissant tousiours noz yeux,
Et est fait clair esprit, heureux bourgeois de cieux.

Cæca superstitio quem protulerat Labyrinthum,
Et priùs erroris qui Labyrinthus erat,
Ex illo ducente tuæ fulgore coronæ,
(Certè etenim duxit fulgor, Elisa, tuæ)
Cur Ariadneæ concederet illa coronæ?
Fulgida cur inter non habet astra locum?
Ast habet, atq; etiam propius consedit ad Arctos,
Fixaq; sub Rubro clara Leone nitet.

Κρητὸς * φιλοσόφοιο τελευτήσαντος, ἐφάνθη
Δέρμά τε γραμματίων, ὃν παρὰ τέρμα, πλέον·
Ὥς βασιλὶς τέθνηκεν Ἐλισάβετ εἰδυλὶς Ἄγγλων,
Σᾶμ' ἐπέξον' αὐτῆς, ὃν περὶ σῶμα, ἐρύει.
Γράμματα εἰ ἐπιδείκνυσ' ἀλλογιμώτατον εἶναι·
Οἵων, εἰ πὲ, λόγων δείγματα ἐστὶν ἔπη;

* Epimenidis.

SI, quando coluere Iovem, vixisset Elisa;
Inter furta Iovis nonne relata foret?
Namq; dies, miseranda dies, Iovis abstulit illam,
Prædaq; digna fuit plus satis illa Iove.

ELisa, cedri æternitatem præferens,
Regina virgo, regiarum virginum,
Regum, Imperantium, perennis gloria;
Prior tuum quæ posteris tradet decus,
Pallas, Salus, Relligio, Pax, Victoria?
Mandare, diffundere, volunt omnes simul.

Relligio ait, veram mihi lucem dedit
Elisa, perpolivit, auxit, protulit.
Lacer fuit, misellus amictus mihi;
Dat tunicam Elisa splendidam, dat divitē.

Templis honos servatùs, Illâ præside,
Fuit vetustis: instituta sanctiùs
In me remansit semper, ac est mortua:
Meo reconditur sacello mortua.

Conciliat, inquit Salus, honorem plurimũ
Nobis Elisa, sed magis nostro Deo;
Quòd, indies ei qui erant structi, dolos
Miris tot annos salva vitaret modis:
Et quòd Britannis certa constaret salus,
Quamdiu erat hæc Elisa Regina Angliæ:
Meo reconditur sacello mortua.

Minerva, Docta, inquit, fuit; prudens fuit:
Mihi, palæstris semper indulsit meis:
Meis benignè, quaq; *providit* mihi,
Annos potita sceptra vix octodecim,
* Anno 18. Testem citare possumus * legem datam,
Eliz. cap. 6. Meo reconditur sacello mortua.

Longum est referre Pacis & Victoriæ,
Illius olivas laudum, & huius laureas;
Epilogus vtriusq; sic infert, scio:
Meo reconditur sacello mortua.

Edw. Evans Soc. Nov. Coll. in Art. Mag.

In obitum serenissimæ Reginæ Elizabethæ.

QVi vel Mausoli tumulum, molemve Colossi
Defunctis struit, aut vivos in marmore vultus
Ducit, spirantes vel cudit in ære figuras,
Quàm vanum meditatur opus, quod duret in horam!
Talia tempus edax ludibria temporis aufert.
Sed, Regina, tibi gens Angla perenne sepulchrum
Apparat, & vivum morienti ponit honorem,
Quem nec dura manus poterit, nec temporis ira,

Nec

Nec furor hostilis,nec tollere cana vetustas;
Condit enim grato Te pectore, condit in ore
Anglia,voce manes, ac altâ mente reposta.
Sic memores tumulamus, & haud tumulamus Elizã;
Ducimus huic funus,tamen est hæc funeris expers,
Et fatum fato vincit. ἐπικήδιον ergo
Pectoribus scribemus, & ore sonabimus illud
Quæ Charites tulit ore,tulit quæ pectore Musas,
Hanc memores Musæ, Charitesq́; ad sydera tollunt.
Pectore sed vivet, dicetur & ore Britannûm,
Dum Musæ, Charites, dum pectus,& ora manebunt.
Hoc virtus,pietas, Saturnia secula,mores,
Relligio,candor meruit sincerus Elizæ,
Tendit ad Elysium cœli cœlestis Eliza,
Angelus angelico in cœtu, cum virgine virgo
Eminet Astræâ : nec iustior altera terris
Extitit,aut æqui servantior altera cœlis.
Quicquid honoris erat terris heu terra recepit:
Sic sensus abiere pij, sic conscia recti
Vita,fides, abijt sic mens, sic zelus Elizæ.
Hæc quia chara Deo deus excipit. Instar Olympi
Emicuit terris,& Eliza locatur Olympo;
Sic quæ mater erat,iam Diva vocabitur Anglûm;
Pulchrior est mihi visa dies, & clarior aula
Fit Iovis,vt primum fulgentibus additur astris
Sidus Eliza novum. Lumen modò purius orbe
Cernitur,& vivos modò sentit terra calores :
Hinc *Ver* mittit opes, *Vernis* exornet Elizæ
Floribus & tumulum ; floresq́; rigabimus Angli
Effusis lachrymis, decorent vt sempèr Elizam.

Tho. Banghe in Art. Mag. ex Æde Christi.

Elisa è feretro.

MVtamur: Quid enim? Manus immortalis honorem,
Quæ dedit & sceptrum, rapuit paulo ante sorori,

Ante illam fratri, patri, proavisq;, vicissim
Fratri traduntur, longumq; fruatur in ævum.
Sic confluxistis vivam (lætiq;) videntes,
Sic confluxistis postremò. Nolo dolentes.
Sentio per feretrum de Successore triumphos
Quis negat esse meum quod sic succedat honorē?
Supremam nostram spectatis funere pompam,
Ite aliò (quò mens ante iverit.) atq; salutem
(Quem mihi secretò servabant vota) Iacobo
Dicite de feretro, populus mihi charus, Elisæ.
Dum vestræ fidei, regisq; ego nuntia Cœlis.

Georg. Plagraue Bacc. LL. Ioannensis.

ACcepit, tenuit, regnum sine cœde reliquit.
 E tenebris lucem relligiosa dedit.
Magna Minerua fuit: pœnas Hispanus apertas
 Sæpè dedit; pœnas perfida sæpè manus.
Italica Hispanis coniunxit, Græca Latinis.
 Gallica perlegit, Virgo Britanna fuit.
Virgo fuit, cui prisca parem non protulit ætas,
 Postera non ætas exhibitura parem.
Corpus terra tenet, mentem non terra sed astra.
 Astra petit virtus, viscera seruat humus.

Io. Abbott Art. Mag. Baliolensis.

TErra quid ostentas varios mentita colores?
 Aut quid luxurias palmite, vere novo?
Exue purpureum cultum, depone nitorem,
 Et vultum omniferum rustica *Flora* tuum.
Digna *Rosa* imperio (flos præstans,) nobilis herba
 Occidit, atq; horti gloria sola tui.

Ni foret exortus novus alter *Flos benedictus*
 Perdideram omne meum terra misella decus,

Quid

QVid mihi narratis mundi miracula septem?
Dici iure potest vnicus *Illa* stupor.

Fœminei generis virtus est omnis, & omnes
Has habuit iunctas vnica virgo simul.

Ad quendam : : : :

Vah tu qui geminos habens ocellos,
Inter tristitiamq; gaudiumq;,
Ex vno lachrymas fuisse obortas,
Risus ex alio crepas ocello:
At si centum oculi mihi darentur,
Dein centū alteri, & vsq; & vsq; centū,
Hos omnes simul vnus occuparet
Ploratus, cineres rigans *Eliza*,
Optaremq; oculos habere plures.
Cyclopis si oculus daretur ingens,
Dein maiorq;, dein profundiorq;,
Dein maior, foret ille fons perennis,
Effundens lachrymas scaturientes:
Ter sacros cineres rigans *Eliza*.

Tho. Wiat Art. Mag. Coll. Oriel. S

NEc tibi marmoreum tumulum, nec saxea busta
Ponimus, hæc onerant corpus, & ille tegit;
Et tua quæ totum compleuit gloria mundum,
Nec fuit apta premi, nec fuit apta tegi:
Scandit ad æthereas sedes, nec marmore claudi,
Nec saxo poterat gloria tanta premi.
Ergo levis tumulus levior sit versus, & iste
Nec tua celabit facta, nec ossa premet.

Cuthbertus Ridleyin Art. Magister ex Æde Christi.

DEbora vincebat Sisaren, Iuditha Holophernen:
Hos regina duos vicit Elisa simul.
Hispanum Sisaren, sævum Romæq; Holophernen,
Dum procul à regno monstra tremenda fugat.

Quòd Regina, dolor: dolor est, quòd virgo peribat:
Quòd pia virgo, dolor: quòdq; parens patrię.
Cum virgo, regina, pia hæc, patriæq; parens sit,
Proh, dolor est superans tristitiam & lachrymas.

DIgna cothurnato Rege es (Regina) poetâ,
Vt laudes æquet, scribat & ipse tuas:
Ast hoc quis poterit? Nemo est iam David, at vnus
Qui bonus est idem Rexq; poeta, potest.
Rexq; Poeta, tui solij successor, & hæres
Virtutum, laudes scribat (Elisa) tuas.
Psalmographus David Saulem defleuit ademptum,
Rex pius impurum; Te pius ille piam.

Richardus Etkins Art. Mag. ex Æde Christ.

ECce iacet nostrum spectabile sidus Eliza,
Fama tamen terris non peritura manet:
Quam pia relligio, quam plebs, quam Musa gemiscit,
Nàm tria pręsidio texerat ista suo.

Si, nisi quæ titulis concessa est gloria priscis,
Nulla futura tua est, nulla futura tua est.
At, quia, quæ semper claris fuit addita factis
Gloria tota tua est, Gloria tanta tua est
Vt, quam nec tumulus, Lethæa nec obruat vnda;
Quid? superat structos laus tua tota rogos.

A. Adams Magister Artium ex Æde Christi.

Ergo

ERgo nihil non luna videt mortale? nec ortum
Quicquid habet non occasum timet? Æacus vrnam
Immensis quatit vsq; vmbris: nec parcitur illis,
Parcere qui reliquis nutu vel perdere norunt?

At nos, fatorum leges, adamantina iura,
Parcarumq; colos,semperq; volubile pensum
In nostram tenuisse nihil sibi iuris Elizam
Credidimus(nam quæ cupimus, citò credimus,atq;
Plausibili satis est tenuis facundia causæ)
Credidimus;sed vana fides,sed somnia,sed spem
Expectata seges vanis elusit avenis.

Eheu! quid voluit Lachesis sibi! quidue Sororum
Dira intemperies! in nostram perdita messem
Fatalem immisit falcem, crudelis! in vnâ
Ah quantam segetem Virtutum occavit Elisâ!
Quarum si spicas numero, si carmine longo
Vel minimas cuperem libare modestus aristas,
Promptiùs expediam quot Elisæ è funere natas
Et meritò natas,cœli bonitate Iacobus
Adveniens,lacrymas Britonum detersit ocellis:
Quas si quis vellet numeris æquare, necesse est
Ipse sibi totidem linguas, totidem ora necesse est
Optaret, linguâ quot Elisa movebat in vnâ:
Novit enim quicquid mellis dedit Attica,quicquid
Facundi salis Illius dedit æmula Roma, aut
Simia Romanæ petulans Hetruria linguæ,
Et quæ fœmineis blanditur Gallica labris;
Nec Germana suas quamvis subdura,suasq;
Invida quantùmvis invidit Ibera loquelas.
Hæc quota Virtutûm pars,hæc quota portio laudum,
Orbis in angustâ quas admiratus Elisâ est:
Cætera in angustæ renuunt præconia chartæ
Finibus arctari,non admittentia fines;
Nec capiunt numeri numerum excedentia nostri.

Posthuma apud seros cum narret fama nepotes,

Po-

Posteritas metuet veris accredere dictis,
Atq; fide vix digna fidem superantia dicet.

Carolus Fitzgeofridus Art. Mag. Latipertensis.

SIccine cœlestes, gens invidiosa, Cohortes
Exercent livore viros? prô Iuppiter! vna
Quùm sit Diva Solo, sed millia mille Dearum
Agmina stellifero semper fulgentia Cœlo,
Cur tamen abripuit Cynosuram, sæva, Britannam
Cælitibus, Sanctis, Divisq; indigna simultas?
Forsitan astrifero sordebant Sydera Cœlo
Languida, pallenti dum Terrâ clarior ignis!
Nec sane immeritò: sed enim, nec lampade Cœlũ
Stelliferum tali fulsit; nec lampades Anglis
Cœlestes curæ; radios dum lampas Elisa
Spargeret, auricomi superantes lumina Phœbi.
Ergone tu Divam rapuisti, livide, nostram
Iuppiter, vt summo statuatur Sidus olympo?
Nec malè! Solamen remanet: quò celsior illam
Quippe locus maneat, tantò conspectius in se
Lumen habet, radiosq; suos iaculatur ab Alto
Latiùs; vt celsâ candens statione Lucerna
Clariùs affulget. Sed tu, quæ Numinis instar
Splendueras, induta luto, regimenq; caducum
Exercens, quales surgunt tibi, Diva, triumphi,
Gloria qualis adest, quùm sis vnita Dearum
Cœlesti numero, atq; inter subsellia Divûm
Vermiculata sedens, Superûm stipante coronâ,
Ad dextram Iovis æterno frons ardet in Auro?
Sic tibi dum properat nigrum Libitina feretrum
Aureolam properat fronti libitina Coronam.
Et dum cœlestes, gens invidiosa, Cohortes
Nos livore premunt, pressos ad sydera tollunt.

Nicholaus Debillus Coll. Vniversitatis.

Invitatorius Panegyricus

Ad regem optimum, de Elisabeta nuper Regina posteriore ad Oxoniam adventu.

Vbi & ipsius Elisabetæ multa laudatio: & Orationis Latinæ, quam discessura ad Academicos habuit paraphrasis fida.

OPtime defunctæ Reginæ Virginis hæres,
Oppida dum, regniq; novi visenda peragras,
Oxoniam cognosce tuam: cui læta bis hospes,
Et bis grata fuit, nunquam tibi, magne Iacobe,
Dissimulanda soror, communis noster Elisa,
Longus noster amor: qua non felicior vnquam,
Fortunæve suæ, rerumve potentior auctor.
Venerat illa quidem, nostrumq; agnovit amorē
Nec sat ei venisse semel: cum quinq; peractis
Post iterum lustris, iterum gratissima venit.
Tu quoq; fortunate veni: nec dulcia Tempe
Visere, nec Phrygij ripis errare Caystri
Optabis: non Elysijs incedere campis:
Non vagus Eridanum spatiarj propter amœnum,
Pascentem niveos sinuoso flumine cygnos.
Tu licet ignotas rate fidens iveris oras:
Quà circum tepido nigra cingitur India Gange,
Occiduasq; dies quà præcipitatur in vndas:
Trigemini videas pastoris inhospita tecta:
Et septemgemini pertentes ostia Nili:
Susa venenatis adeas armata sagittis:
Quasq; tenent ponti Byzantia littora fauces,
Quosq; tenent Romæ septenos mœnia montes:
Phasidis Ææi propellas remige fluctus:
Argôæq; Ithacæq; legas iter omne carinæ:
Hesperidumq; choros, Gygæiq; ora Caystri
Aspicias: & Pactoli mireris arenas:
Threiciumq; sequaris Hebrum, nivibusq; tumentē
Strymona: luctantumq; in pulvere signa requiras
Herculis, Antæiq; vagus; totumq; redire

De laude Oxoniensis Academiæ altius repetitum exordium, à laude totius Britanniæ.

Immemor immensis cingas erroribus orbem :
Omnia concedent : omnes super vna placebit
Terra, procellosi dominatrix insula Cori,
Insula, Belgarum quæ littore dissita tantùm,
Quantus ad occiduam pelago prospectus Iërnen.
Concedent aliena tuis : tuus omnia supra
Spirabit tibi suave aër : tua regna, tuæq; ,
Rex, tibi ridebunt vrbes : & in omnibus vnum
Vrbibus Oxoniæ nomen: sanctiq; Penates,
Omnia pulchra quidem : neç me sub pectore fixus
Fallit amor patriæ : nec amari dignior vlla.
Dracus adit duros pro pulchrâ laude labores;
Antipodem vidit mundum, nostriq; timentes
Divitias, priscis loca nnnquam accessa carinis:
Quo neq; Nisigenâ cum milite Liber adivit :
Iovis in imbrem aureum conversi. Nec vagus Alcides, pluvij nec filius auri.
Illic vt perhibent, fera sunt, & inhospita turba :
Nudum, turpe, genus : victum & connubia propter
Vnguibus, & pugnis inter se bella cientes :
Hospitibus pasti cæsis sub dentibus atris
Mandentum trepidant artus & viscera nostra,
Vivum cruda data in tumulum sanie ora calenti
Fœda natant, hirtæ concrescunt sanguine barbæ :
Tu prius & surdas doctis sedare procellas
Vocibus, & fluctus poteris revocare marinos :
Quàm sine vi lenire feros, aut vincere verbis.
Indociles rerum, indomiti, sine iudicis vsu,
Et sine regis, agunt : nec tecta nec oppida condunt :
Exesis domus antra iugis, & densa fruteta.
Nec socias vacat in communia vertere curas,
Hæc loca adusq; vigil penetravit Dracus, eunsq; ,
Et redeuns, mores multorum vidit, & vrbes:
Nunc invicta viri lambentes pectora phocæ,
Et delphines habent : & sæva supergemit vnda :
Tantus amor longis amplecti ambagibus orbem.
Nil tamen hic, sua cui cessura Britannia, vidit,
Alma parens rerũ, Cereris domus, angule mundi:
Chara Deo tellus : quamvis Aquilonea, quamvis

Rupibus alta ſuper vaſtis,& diſſita toto
Eminus orbe ſedes. Hîc nemo prælia [a] ſulcis
Condidit: hîc denſis nunquam ſeges horruit haſtis:
Sed gravidæ,Cereri ſatis,& tibi Liber,ariſtæ
Caneſcunt: paſcuntur oves: mutandaq; magno
Vellera tondentur.Nullum lupus hoſtis ovile
Acer obit: tutum tremuli ſub matribus agni
Balatum exercent: nullis fera ſævijt agris,
Ditia non aſper cuſtodit vellera [b] ſerpens:
Non pia paſcit humus ſquamoſo ventre ceraſtas,
Aſpidave,aut ſiccas vrentem Dipſada fauces.
Amne, [c] ſolo Crocodilus abeſt: non herba veneno,
Vipera non altâ miſeros decepit in herba.
Non gravis exuſtis incumbens Sirius arvis
Flumina letifero corrupit & aëra tabo.
Temperat aura recens æſtivos frigore ſoles:
Aura ſatis,pecoriq; ſalubriter inter opacum
Blanda nemus,motis & ſemper ſtridula ramis.
At pluviæ mites hyemem,nebulæq; remiſſæ,
Et complexa ſinu ſedat maris vnda tepenti:
Rore ſolum cœlumq; fovens: non mœnia Phœbi
Tuta magis: ſcit fuſus Iber,fractæq; fatentur
Regis opes: ſtructo cum fulſit [d] Marte Caletum:
Hinc ope Romanâ, vaniſq; Hiſpania divis,
Indorum ſpolijs, & fraudum freta latebris,
Hinc cupida in patrijs virtutibus Angla iuventus:
Quis mare non illo fidum diſcrimine murum
Agnoſſet? quid [e] monſtra fugâ deſerta marinâ,
Aut quid cæruleo fluitantes gurgite baccas,
Antiquum [f] Romæ loquar irritamen avaræ?
Adde virûm prolem, quàm mundi ſidera multa,
Quàm multam in Libya refluum lavit æquor arenã.
Adde iuventutis lumen, miſtoq; decorem
Robore: longævamq; patrum viridemq; ſenectam.
Adde ingens decus, externæ pietatis aſylum:
Perfugium terris commune ex omnibus vnam.
Præcipuè tumidam poſtquam duce virgine Romam
Obterit,& cœlo triſtes terræq; furores

[a] Vt in Colchide & Cadmëide

[b] Vt aureũ illud vellus à Dracone cuſtoditum dicitur.

[c] Eſt enim animal amphibium.

[d] An. Chri. 1588.

[e] Balænas?

[f] Margaritarum Britannicarũ gratia à Iulio Cæſare appetitam Britanniã ait Suetonius.

Sola domat. Nam quid priſcorum ætate parentum
Quæ fuerint, memorem?[a] quàm magnum munus Hibernis
Patricius? quos priſca pij Germania veri
Nacta duces? & quos bis Gallia priſca magiſtros?
Adde tot antiquas vrbes, tot amœna locorum,
Montibus, & ſylvis, & aprici gramine campi.
Adde tot irriguas inter currentia valles
Flumina, tot portus, & tot monimenta laborum,
Totq; artes operum, munitaq; mira viarum,
Victrices & mille rates, medicumq; bitumen
Sulfureâ miſtum lympha, luciſq; diurnæ
Participem noctem æſtivam, ditemq; metallis
Saturnum aureoli ſopitum pumicis antro.
Sed neq; Saturni venæ, nec ditior auri
Siqua, vel argenti dono non invida fluxit,
Laude prior, quã fert [b] Academus vterq; Britannis.
Non ſegetum fœtus maior, non gloria maior
Læta virûm proles: non quicquid amabile ridet
Vndiq;, non pulchrum quodcũq; Britannia iactat.
Alme Britannorum rectorq; paterq; Iacobe,
Hanc quoq; pollentis regni bonus aſpice partem,
Magnanimûm curam regum: clariſſima cuius
Lumina ad Herculeas duce te fundenda columnas,
Danubiumq; Indumq;, & pingui flumine Nilum.
Aſpice: nec quicquid ſchola noſtra, vel altera dignũ
Spectatoris habet tanti, non aura, ſolumq;
Non ſitus Oxoniæ fallat: geniuſq; ſacrati
Et genus & natura loci: quæq; impiger hoſpes
Omnia venatu circumſcrutabere luſtrans.
Hinc liquidis Cerüellus aquis, hinc Iſis inundat.
Maior aquis Iſis: poſt idem nomine miſto
Tamiſis, in partem Tamæ datus, auctior altum
Londino citus vrget iter, regnator aquarum.
Iſi ſoli ſator, imber, aquæ Rex Iſi Britannæ,
Imperij doctûmq; pater, [c] navalibus altis
Londini par adde decus: quod cuncta loquantur
Secula: quoq; tuus ſupra Parnaſſia longè
Flumina, Pieriumq; Helicona ſuperbiat amnis,

[a] Religio Chriſtiana ex Britãnia propagata in Hiberniam per Patriciũ Glaſconienſem, in Germaniam per Winfridum Devonienſem primũ Mogũtinẽſem Epiſcopũ: quẽadmodũ & in Galliã literæ ex Britãnia primũ per Druidas: & deinde per Alcuinũ Eboracenſem Caroli magni comitẽ.

[b] Platonis Academia ab Academo vel Ecademo heroe, cui locus ſacer erat nomen accepit.

Situs amœniſſimus vrbis Oxonienſis.

[c] Vnde & nomẽ vrbi Londinenſi: Camd.

Nulla

Nulla tibi moles iter in mare claudat eunti:
Non rapido sol igne coquat, non bellua fontem,
Non tibi turbet avis: nec agentes nubila venti
Horrificent: nullo salientem frigida cogat
Bruma gelu: nullo cœli corrumpere tabo:
Purus & illimi scateas pellucidus vndâ,
Cumq; ingens ruis, & modico cum sobrius æstu
Oxoniam petis: & non vno fissilis alveo
Lenius agmen agis: doctas ne forte quietes
Rumperet integro saxosum flumine murmur.
Septem vni riguis numeravi cornua rivis.
Planitiem læto quæ subter euntia succo,
Pubentesq; fovent herbas, & mane recenti
Sufficiunt teneras nebulis halantibus auras.
Talia præbebunt loca se (Rex alme) tuenti:
Qualia Thessaliæ dicunt viridantia Tempe:
Tempe, quæ medius dirimit Peneius amnis.
Vltima queis sylvę circum collesq; coërcent:
Proxima flava Ceres: medium viridissima rivum
Prata vtrinq; tenent: nec gratior vlla Dianæ,
Nympharumq; choro tellus: Neptunia postquam
(Cum prius arva coli restagnans vnda negasset)
Dissecuit cuspis montes: Ossæaq; pulsu
Verticibus iuga clivosi divisit olympi:
Et fluvium pelago dedit, & dedit arva colonis.
Talis forma loci, talis se ostendet imago.
Plana patet longè tellus: non solis in ortus,
Non Auster, Non Core tibi, sed tota salubrem
Libera prospectat Boream: nam cetera montes
Cingunt, & virides vmbrosa cacumina sylvæ.
Sylvæ, quæ placido blandæ indulgere susurro,
Et leviter ramis capita incurvare reflexis,
Fœcundam medio despectant amne secari
Planitiem: quæ prima patens vtrinq; virentem
Dulcibus in pratis iniussi graminis herbam
Sufficit: & tenero semper se vestit amictu:
Mox curvata tumens sensim sese altiùs effert:
Mollibus & clivis, nunquam non grata colono,

Emicat in faciles ſylvoſo vertice colles.
  Omnia ſeceſſu(ſiquid promittere refert)
Digna videbuntur docto,ſtudijſq; quietis.
Lene ſoporifero trepidans per ſaxa ſuſurro,
Humida ſaxa ſuper viridi rorantia muſco,
Manabit tibi murmur aquæ : molliſſima propter
Herba torum pandens,& ſtridula flatibus aura,
Et lætæ ripis volucres, & fluminis alveo,
Cantibus & plauſis reſonantes aëra pennis.
Non tibi nec feſſo ſuadebit pluma ſoporem
Suavius : Aſſyrio nec tinctum textile ſuco.
Ibit laſcivo per florea regna volatu,
Et ſummas ſtringens criſpabit ſibilus vndas
Leniter illudens zephyrus : tepidumq; ſerenus,
Concutiens plenas Eoi nectaris alas,
Rore maritabit glebas : quod fertilis Hybla
Invideat ; quod thuriferis Panchaïa ſylvis,
Et quod odoratus mirari poſſit Hydaſpes.
  Quid moles operum,priſcæq; loquacia ſaxa
Virtutis,proavûm monimenta,Iacobe,tuorum,
Quid ducis Humfredi loquar haud imitabile cuiquā
Artis [a] opus?quod nunc Bodlæus [b] ſumptibus auget
Egregijs : & ſe Letheis invidet vmbris.
  [c] Illius extremæ gentes, Ægyptus,& Atlas,
Quiq; bibit Tanaim,torrentis & accola Gangis,
Virtutem ſciet : & virtutis buccina vates,
Oxoniæ vates, decus immortale ſacrabit
Verſibus : & ſerâ vigilans ad lumina nocte,
Contendet veterum ingenijs : nec pectore ſomnū
Accipiet : quamvis recubant per prata iuvenci,
Lanigeræq; ſilent pecudes : & plurimus vdo
Rore ſopor fuſcis tellurem amplectitur alis,
Inſerpensq; hominum curis alternus avaris,
Grata laboratæ revocat ſolatia vitæ.
  Quid ſtudia ingenij dicam? quid amoris & artis
Dulcia promittam certamina ? tota videndam
Se tibi Rex (tanto nec iudice gloria parva eſt)
Ambitioſa dabit Schola : deprometq; repoſtas

[a] Scholam Theologiæ
[b] Bibliotheca magnificentiſſima.
[c] Thomæ Bodlæi qui de Academia Oxonienſi heroïcè meritus.

Dives

Dives opes, omnemq; penum. Seu civica nosse
Cæsarei tibi iura fori, seu scita Galeni,
Naturæq; operum cæcas exquirere leges,
Cura tibi subit: aut cultu templa vnde profano
Tam varius gentes per cunctas occupat error:
Quæq; sacris mens, & sententia dia tabellis,
Ingenijs veterum non observata tegatur.
Non hæc erubuit, tua cui succedere virtus,
Par quia semper erat, meruit: sed regia sæpe
Dextra tulit calamum, regniq; insigne libellum.
Sic quoq; bellipotens fertur Tritonia virgo
Sæpe manu validâ, telum qua torquet in hostem,
Quaq; graves portas, turritaq; mœnia vellit,
Hac & purpureis calathos implesse corollis,
Et flores sociasse legens. Nec semper odoris
Parthenium canibus patiens lustrare Diana:
Quin & Hamadryadum quondam venatibus agmẽ
Solveret: & crinem frænaret floribus ipsa:
Narcissumq; crocumq; metens, & sicubi solam
Vel violæ texant, vel mollis amaracus vmbrãm.
His similis curas regina levavit Elisa
Dulcibus in studijs: vbi non muliebria captans
Otia, Musæos hortis libavit honores;
Pierios spoliavit agros: & nescia brumæ
Lilia decerpens; & inaccessis hyacinthi
Floribus, & nunquam languenti vere rosarum,
Virgineum caput, æternoq; legens amarantho
Ornavit. Nunc vim linguæ, Demosthenis arma,
Nunc melior versare Sophos: Diumq; Platona:
Nichomachoq; [a] satũ: Macedo cui magnus alũnus
Otia largus opum fecit, causasq; latentes
Et variam vim naturæ penetrare reclusis
Visceribus, fundoq; evolvere iussit ab imo.
Non illam sacri latuere oracula cultus,
Templorumq; fides, credendaq; pagina veri.
Non legum latuere libri: quid regia poscant
Sceptra: magistratus & quid deceatq; iubere
Dedeceatq; pati; quæ largis regula dextris:

Elisabetæ nuper reginæ seria & copiosa laudatio.

[a] Aristotelẽ

Et quis iustitiam modus æquo temperet: & quod
Officium belli: regnum quibus artibus ingens
Fiat ab exiguo; Quid claudat vulnera, norat:
Quid faciat morbos: & quo medicamine sanguis
Staret, Pæonijs & quæ concederet herbis,
Quæ resecanda lues. Non illi interpretis vsus
Seu Germanus erat, Latia seu missus ab vrbe,
Sive Iber, aut Gallâ legatus venerat aula.
Non illam latuit veterum experientia rerum
Vlla per historias, aut pastæ cædibus iræ:
Bellaq; & invidiæ, & non æquo fœdere paces.
Non illam Ausonio ferales sanguine Cannæ,
Nec duo Scipiadæ Tyriæ Carthaginis horror,
Nec nuribus mœstis & matribus Hannibal hostis
Nescijt. Eoas acies, illæsaq; soli
Ardentem Libyen, & Persica Susa legendo,
Et Pyrrhi regnum Aeacidæ, Pellamq; Tyrumq;,
Bisq; tepefactos civili cæde Philippos,
Et Bacchi Thebas, & Palladis ivit Athenas.
Insignis princeps hominem cui plurima supra
(Omnia fœmineum supra tibi nomen Elisa)
Quas tibi, (nam multi decoris quota portio doctis
Nomen in ingenijs?) nunc postquā es corpus inane,
Nunc vbi libertas, & amico maior, & hosti,
Quas tibi pro meritis tua grates Anglia reddat?
Iustitiæ priùs, an belli miretur honorum?
An veniæ faciles iras, & amantia pacis
Consilia, adversis invicta, invicta secundis
Magnificosq; operum sumptus, largamq; iuvandis
Supplicibus, lapsisq; manum succurrere regnis.
Dissimulatus honos vultuq; oculisq; nitebat
Regius, & nivei librato in pondere mores,
Miscentes placidum cum tetricitate serenum.
Quæ pietas? quàm certa fides? vbi dulce remitti
Quantus in ore lepos? animo quàm nulla senectus?
Nunquam pigra quies: condibat cuncta benignus
Candor, & almus amor, digestaq; in ordine vita,
Et medius serpens per honesta & dulcia limes.

Vna tui semper similis : morum vnus adhæsit
Fortuna crescente modus : felicibus orsa
Principijs, pariles eventus vsq; dedisti,
Libera inoffenso pergens pede. Parcere regni
Principijs, primâq; manu non multa movere
Præcipiant alij. Tu cum vicina fuissent
Partim plena metus, partim certissima belli,
Suspicio cum cuncta domi misceret, & hærens
Hispanum furiale malum, mœstæq; sororis
Coniugium, patriæ præcordia ad ima subissent:
Principijs ipsis sincerum ante omnia cultum
Numinis, & sacris templa exonerare sinistris
Freta Deo ponis : longinqua nec addere parcis
Finitimis odijs : & quæ diffusa per vrbes
Intestina lues Italo sublapsa veneno.
Ipse mari veniens repetitum coniugis aulam,
Regnaq; nequicquam dotalia, sive repulsus,
Sive remissus Iber, raptas è faucibus vrbes
Stans altâ rate prospexit. Pede tangere littus
Extremum non ausus, abit. Sine milite victus
Consilijs Regina tuis, sine cęde recessit.
Cuncta serenasti, ceu tristia nubila luna
Discutit, & placidæ per amica silentia noctis
Labitur : & tacitis irrorat lucida campis.
Tale tuum exoriens sidus regina refulsit.
Nec minus insignis spectantia lumina cepit
Frontis honos. Nec enim poterant avertere visus,
Aut cupidas oculorum acies explere tuendo.
Nam quocunq; caput torsisses, omnia circum
Ridebant : dulcem sic toto corpore lucem
Iactabat, grati qui tum flos integer ævi,
Tale tuum virgo visum non molle serena
Maiestate iubar, Ledêus Castora qualem
Educat Eurotas : qualis vel casside visa
Parthenopæus erat, vel quem * Nerëia mater
Virgineo fatis exterrita texit amictu
Bella cavens : qualem pugnantem mœnia circum,
Imparibus doluit fatis crudelis * amator

* Thetis

* Achilles ipsius Troili amator.

Impubem Aemonia deprendi Troilon hasta.
Talem te, subito duce te cum salva periclo
Conscia turba novam dominã, proceresq; videret,
Qui sensus, & quàm cunctis devota voluntas
Servire egregiæ formoso in corpore menti?
Vota Deo, promissa sibi fecere faventes:
Vtraq; larga quidem, sed inania neutra fuere.
Accipis & vacuis exhausta æraria cellis,
Communemq; fidem quassam, commercia læsa,
Et pretij mendax in publica damna numisma:
Tali sæpe malo medicina prioribus annis
Plurimus exactor, rapidiq; iniuria fisci,
Ingeniosa lucro, & captatæ crimine prædæ!
Non ea mens Regina tibi, cum pinguia vendi
Rura paterna iubes, pretiosaq; venditur ipsa
Regifico [a] luxu proavûm sacrata supellex.
Talibus orsa modis, regum inter maxima motus
Arbitra sedisti, pacis belliq; gubernans.
Cive vel hoste fatigatis tu prima subire:
Consilijs opibusq; tuis lætantur, & armis.
Quid loquar, aut doctę quoties memorãda Geneve,
Aut Lusitano quid feceris exule rege?
Barbariem quoties miserata infrænis Iernes?
Quis te Borboniâ non audijt hospes in aula?
Quis tua dissimulet magnis benefacta Valesis
Ingratam rexisse domum, frænasse ferocem,
Fataq; quod sinerent sustentavisse ruentem?
Non aliam novit te supra Gallia matrem:
Belgia non aliam. Te Dania læta, tuumq;
Succia, regalemq; attendit Scotia nutum.
Scotia, quam nostro vulsam de corpore partem,
Vexatricem olim, prædæ cum nuda pateret,
(Iustitiæ specimen quo non præsentius vllum)
[b] Externoq; iugo, & civilibus exuis armis.
Parva loquor. quid Turca ferus? cui nomina tandẽ
Principe te primum nunc fando cognita nostra.
Certa fides, miseris te interveniente Polonis
Vltima cum posset, pacem dedit. ipse [c] Philippus

[a] Luxui, vt Propertius dixit, alternæ facilis cedere lympha manu. Nam & genitivus manus Nonio pro manuis

[b] Gallorum qui Scotiã non ita pridem spe vana devoraverant.

[c] Philippus secundus Hispaniæ Rex.

Te sibi fatalem quoties invitus & amens
Sensit? & insanis nunquam tamen abstitit ausis.
Nunc ipsam, nunc prima virûm petit irritus astu,
Vimq; foris, & dira domi periuria tentans.
Occultis odijs, aut vi deiecerat omnes:
Suspirant taciti: casusq; & sæva suorum
Funera deplorare timent: pars maxima mundi
Imperijs complexa viri: spes cetera præceps
Hauserat: indomitis nemo conatibus obstat:
Segnitie, pretio, spe, viribus omnia cedunt.
Vndiq; te præter, regina, reprendere mussant.
Sola feram contra virtus se virginis ausa
Tollere: tu contra rabiem rictusq; cruentos
Sola moves non tela manu muliebria virgo.
Tu spes sola super, cunctisq; optata pericli
Turris ades: clypeusq; trucem tu fidus in hostem.
Tu profugis secura salus, huc vsq; minatus
Constitit, hic finis furijs, hic terminus hærens.
Vna feram Nemeæ cohibebat sylva leonem:
Arcadicum regio vna suem: non impius vltra
Antæus Libyam nocuit: non foeta venenis
Vltra sæva suam serpens Lernæa paludem:
Hanc non vna sibi regio, non insula pestem
Vna sibi timuit: sed maximus horruit orbis:
Quantus ab occasu patet exporrectus in ortum:
In boream quantus, quantus procurrit in Austrum.
Parva mora est, infida prior dum fœdera tandem
*Rumperet: ex illo pro mundi fœmina bellum
Libertate geris. communis causa pericli,
Vni cessit honos tibi, sed victoria totum
Auspicijs regina tuis stabilita per orbem.
Auspice te vastos hostiles ignibus agros,
Et versas prædis onerati liquimus vrbes.
Auspice te pontus tabulis, & littora ponti
Strata cadaveribus: novus India mundus eâdem
Auspice, victrices toties mirata carinas.
Anglia non vnquam nisi captum vidit Iberum:
Nec nisi victores tellus nos vidit Ibera.

*Immisso in Hiberniam milite.

[a]Supple se debere. Ipſe tibi,nondum quod ſerviat,impius hoſtis
Italus,invitoq; [a] fatetur Roma rubore.
Zenobiæ bello,Muſæiq; artibus otî
Nomen erat: pietate ſimul,ſimul inclyta ſceptris
*Maſſiniſſam. Debora:connubiale novum Sophoniſba * maritum
Afra rogat donum,vivat ne ſerva, venenum:
Aſſyriam ſtatuit regina Semiramis vrbem:
Nauſicaa eiectum ſpumanti littore curat:
Penelopes placidi mores,fraudeſq; modeſtæ:
Aſpaſiæ laus conſilijs,æterna Dianæ
Virginitas: ruptis fluvium nat Clœlia vinclis.
Ingenij Sappho,linguæ Cornelia mira,
Attica Socraticæ Sophiæ Diotima magiſtra:
Hęc muliebris erat virtus,ex omnibus vnam
Compoſitam,Regina,tuam, proq; omnibus vnam
Poſteritas feret: & divino carmine vates
Mandabunt decus æternum venientibus annis:
Et totam fundent in buſto virginis Hyblam.
Inſignis princeps,vitaq; & morte beata,
Atq; tibi,atq; tuis felix, ſine clade ſerenum
Egiſti, ſine nube diem: nulliq; ſecunda
Vixiſti: nunc rapta,tamen ſolatia linquis:
Nec miſeros facis eſſe,tuo ſed funere triſtes,
Nam quid in antiquum ſi reddita rege Iacobo
Cuncta,vel in melius? lacrymas vt tergat ocellis,
Et deſiderium memori de pectore vellat:
Ipſe tamen memores defunctæ expoſcat honores.
Oxonidûm ante alios: alios quibus ante benigna
Adfuit: & multum quibus adſpiravit amorem.
[b]D. Thomã Sacvilũ Baronem Buckhurſt Academia vt par erat honoratiſſimũ Cãcellarium ſuũ, honorificè excepiſſet. Præcipuè tunc, cum adventu dignata ſecundo
Viſeret: optataq; iterum ſe ſiſteret vrbe:
Principibus ſtipata viris, mortiq; propinquo
Cecilio: quo non longi felicior ævi
Filius in patrias nunc ſuppetit æmulus artes.
Quæ mora tum Sacvile tibi, [b] quem læta fidelem
Cuſtodem Schola noſtra ſuum ſoliq; ſecundum
Reginæ caput exciperet? qua clauſus in vmbra
Norfolcæ pars magna domus Henricus Hovardus

Otia docta colens, aberat? fraternaq; [c] Thomas
Progenies, qua sede procul, quibus otia curis
Lenta fefellerunt magni, natusq; paterq;
Seimori: [d] pater egregij [*] Ducis inclyta proles
Et pueri regis materno proximus ortu:
Nobilitas nato maior tamen addita [e] mater
Magna domus hæres Suffolcæ regia neptis.
Tu quoq; magnanimo non infitianda Pipino
Percia progenies, Northumbri culmen honoris,
Defueras: magni deerat generosa propago
Talboti, in titulum cui Gallia victa [f] Salopas
Addidit: & stabilem generi sacravit honorem,
Defuit & belli non degener arte, domiq;
Reginæ lateri custodia fida Ralæus.
Illam alij proceres innuptarumq; secutæ
Dulce decus, Fernandus ovans [*] Darventia proles
Adfuit: & lætam de se spem nescius auxit:
Sed vicina caput tristi mors ambijt vmbra,
Non minor accessit virtutis Cumbrius heros
Aemulus antiquæ, Senior cum prole [g] Caræus
Materna dominæ consanguinitate propinquus,
Tuq; Somersetis magni diffissa [h] propago
Gandavij, veterum venisti dignus avorum.
Ipse Notengamo titulos aucturus Hovardus
Carolus, in cœtu procerum se celsus agebat,
Tuq; [i] Harbertiadûm præstans è sanguine germen,
Quicquid eris, quāquam cognovimus ora Philippi,
Non ita te superi ostendent, vltraq; negabunt,
Venisti, sanctusq; parens, & dædala mater,
Ipsum inter primos ingentibus ante triumphis
[k] Graïada armipotens, vdæ te fulmen Iërnes,
Tum positis armis, fixâq; in pariete parma,
Vidimus, extremoq; iterum sub fine venire,
Oblito curas & noscere Marte quietas:
Mortis habet nunc alta quies: natusq; superstes

[c] Thomæ postremi Ducis, Norfolciæ filius.
[d] Edwardus Comes Herudfordiensis.
[*] Edwardi Ducis Somersetensis qui Edwardi Sexti avunculus fuit.
[e] Franciscæ Brandonæ (quę Suffolciensiū ducum hæres erat) filia maior: Mariæ autem Sororis Henrici octavi neptis.
[f] Comitatus Salopiensis honorem hæc familia nobilissima virtutis & victoriarū in bello Gallico nomine sub Henrico Sexto obtinuit.
[*] Darbiensis: à fluvio enim Darvento nomen provincię
[g] D. Baro Hunsdon. [h] Comes Vigorniensis à Iohanne Gandavensi per duces Somersetenses oriundus. [i] Fits-Harbertorū sive Harbertorum Pembrochiæ Comitum, quorum qui nunc floret (de quo hoc loco) Philippum Sidnæum Equitem clarissimum avunculum habuit. [k] D. Baronem Gray de Wilton.

Non ſinit in gelido poſitum mœrere ſepulchro.
Non paria Hennagio mœſtæ ſolatia mortis:
Venerat ille quidem:quē nunc quoq; fata tulerunt,
Te tamen (egregia quem [a] tum virtute paterna
Principis in ſacro comitatu agnovimus auctum,
Nunc etiam patrijs lætamur honoribus auctum)
Carole Blunorum columen, nec fata tulerunt:
Effera nec longo conſumpſit Hibernia bello.
Illa ſed vſq; favent: feritatemq; hæc tibi ponit.
Illa quidem, ſub rege nouo virtutis amante,
Vlteriora tuis promittunt præmia factis:
Hæc autem æternas tibi ductor maxime, grates,
Conſilijs armiſq; tuis pacata, fatetur.
Venit & altrici perſolvere lætus honorem,
Exemplum pietatis, inoffenſiq; ſeveri
[b] Harbertus, fideiq; tenax Herefordia, quo ſe
(Nec decus extremum eſt) ſancto cuſtode ſacrorum
Iactatura diu. nunc mors caput atra tenebris
Obruit: & ſimili paucos virtute reliquit:
Nec tamen ingentis ſubeat qui pondera molis
Deficit: æquali qui mente ſalutifer adſit,
Aut patriæ lapſis rebus, cultuq; ſacrorum,
Aut teneris, Schola quos patriæq; ſacriſq; figurat:
[c] Tu quoq; facundiq; patris, dupliciſq; beata
Coniugij (prior egregijs induxit Hobæis
Ruſſeliæ domui fax altera) magnus vtrinq;
Splendor, at ingenij maior tibi gloria, maius
Quod propriū eſt, decus Argolicę Latięq; camœnę,
Expleſti numerum egregium. nec principis agmen
Omne mihi refert, & virgineum comitatum
Et pulchras animi veſtigia dicere formas.
Grata Suthantoni iuvenis præſentia: nec [d] ſpes
Falſa: licet cineri ſuppoſtos ire per ignes
Deberet, validæq; audax certare procellæ,
Et longum incolumis tandem meminiſſe dolorem.

[a] D. Baro Mōtioy qui nunc floret cum huic celebritati intereſſet, Equitis quidem aurati titulo, & virtute ſemper ſumma, nondū autē Baronis honore notus fuerat.

[b] Harbertus Weſtphalē nuper Epiſcopus Herefordienſis.

[c] Domina Ruſſelia quam ſecūdus maritus hæres Comitis Bedfordienſis patre adhuc ſuperſtite viduā reliquit.

[d] Spes quā de comite Suthantonenſi ſummam concepimus cū eum in hac celebritate corā intueremur, non fuit falſa, etſi per pericula & luctus eluctari deberet: id eſt, etſi futurum eſſet vt per illa eluctaretur. Sic enim Græci dicunt ὤφειλε pro ἔμελλε.

Om-

Omnia mirabar: sed cunctis altior * vnus
Proximus à dominæ detectus tempora curru
Visus equûm domitor, nondum illætabilis ille,
Nondum truncus erat, vultum mihi sæpe tueri
Ardebat puerilis amor: longeq; sequebar
Suspensis inhians nunquam saturatus ocellis.
Ipsa videbatur talis regina venire:
Qualis odorato redivivus funere Phœnix,
Auroræ populos, & ponti littora rubri
Visit: cum densis circum per nubila pennis
Indigenæ gratantur aves: regemq; sequentes,
Aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent.
Talis visa mihi, longo præeunte, sequente
Agmine, nobiliumq; manu, sonituq; tubarum,
Et clamore virûm (superi date dicere vestra
Pace mihi) vix virgo vehi mortalis Elisa.
Omnia pignoribus fidei signisq; faventum
(Suasit amor verus patriæ) fervere videres.
Non ita mellificum vernis in floribus agmen
Vrget apes iucundus amor: nec talibus æstas
Spicea formicas studijs in sole fatigat.
Non tibi grata minus pietas regina tuorum:
Quàm quondam ex alio cum patria tecta revisit
Orbe redux: quem casta tori sub limine custos
Excipit, & circum pendentes oscula nati.
Septimus officijs tandem, semperq; recenti
Lætitiæ, studijsq; dies advenit ovantum.
Iamq; salutatis visum discedere tempus.
Talibus idcirco collectos ore Latino
(Pignus vt eximij nullum non esset amoris)
Rectores abiens & primos ipsa magistros
Alloquitur princeps: intinctæ suavibus auris
Aethereæ voces (cererem ceu nectare tingas)
Prodibant: totidemq; innoxia tela sagittæ
Ore videbantur roseo prodire loquentis.
Omnia divorum venti retulistis ad aures:
Fas aliquam quocunq; sequi mihi carmine partem.
Vestra, viri pietas, (inquit) studiumq; fidele

*Robertus nuper Comes Essexius.

Orationis Latinę, quā Elis. regina Oxoniæ ad Academicorum præcipuos habuit, paraphrasis.

Cap-

Captam animi,ſolitæq; trahunt rationis egentem.
Nam mihi ſolenni talem ſermone coronam
Cur tentare foret? non hæc data cura regenti.
Publica,non æquum pondus,tutela retundit
Ingenium turbâ rerum: memoremq; valere
Vim prohibet. Tum lingua mihi deſueta Latina;
Sex anni iam terq; decem: vix tempore tanto
Ter decies vtenda,velim ſi quærere,venit.
Nunc tamen, vt glacies cui ſub pede preſſa fatiſcit,
Hinc atq; hinc diſcrimen idem: nec pergere tutum,
Nec revocare gradum,nec ſiſtere: protinus imis
Aut hærere neceſſe vadis,aut credere calli
Infido,ſubterq; crepantibus vndiq; rimis.
Iam plures abiere dies; hinc vndiq; & illinc
Signa mihi veſtræ fidei. Solennia dicta
Artificum linguæ, paſſim ſuggeſtibus altis,
Ingenijq; decus,quæſitaq; maxima rerum
Alternante vices examine,quaſq; tuliſtis
Immeritæ laudes,taceo: ſuper omnia longè
Fidus amor: quem cuncta mihi ſpiraſſe videntur,
Quicquid erat veſtrum. Cui nemo nec audijt æquū
Nec meminit:non priſca parē monimēta loquuntur.
Non pater hos animos natis expertus in ipſis:
Non in amicitiæ iucundo fœdere talis
Cognita,non in amore fides.Sic omnia ſævis
Improba diffidijs animi inconſtantia ludit.
At vos non belli ſtrepitus,diræq;, minæq;
Mutavere mihi: non longi temporis ætas.
Vna fides mihi veſtra manet: dum cetera labens
Omnia fert ætas: & ferrea vincitur annis
Durities,longoq; fatiſcunt tempore cautes.
Non ego,vobiſcum ſi ſemper vivere poſſem,
His peiora mihi de vobis vlla timerem.
Non,ſi mille mihi vocem deus edere linguis
Donaſſet,dignas meritis expromere veſtris
Evaleam grates.Tanto plus conſcia fibris
Cogitat,& pleno ſecum mens pectore verſat:
Quàm calamo,prompta quàm fas evolvere lingua.

Propo-

Propositum tamen antiquum (constantis amoris
Indicium) vitæq; meæ cognoscite votum.
Tempore cum rerum molem iam prima subirem,
Vsq; mihi ex illo duplex incumbere cura:
Altera quæ vitæ caveat non vana secundæ,
Sedibus vt superûm requiescam salva beatis:
Altera quæ regni pestes avertere certet
Externas, natasq; domi. ne læta priorum
Quæ fuerant sceptris, hæc me regnante laborent.
Pars exclusa mihi nulla est: de corpore toto
Cura data est, magno certè de corpore magna
Vos mihi pars estis: vestras res ergo paratam,
Nil vt opus multâ prece sit, stimulisq; monentum,
Sponte mea servare, mea decorare iuvabit.
Consilium quoq; fida dabo, (non illud amoris
Argumentum exile mei) queis prædita summis
Artibus, haud vllam metuat res vestra ruinam.
Vestra sequi pars est, nec temnere vera monentem:
Sic, bene dum vobis vertet, lætabor & ipsa,
Et pia pro vestrâ persolvam vota salute.
Stet ratio cultusq; sacris, non vt vagus error
Et malè solicitum paucorum mutat acumen:
Sed quo nostra deiq; modo lex imperat vna.
Non ego talis enim, tibi quæ deus alme repugnem:
Cuius & imperijs qui pareat, impius idem
In te (summe) foret. tumulo prius obruta condar
Quàm faciam. non me rerum discrimina fallunt:
Corporeis terræq; bonis nihil esse perenne:
Maxima quæ cultu æthereo, vitæq; secundæ
Prospiciant, functasq; animas æterna sequantur:
Hæc ego prætercam? aut animas improvida perdã,
Anxia corporeæ caveam cum cuncta saluti?
Abnuat omnipotens. animarum oblivia ducam,
Iudicis ipsa dei solio sistenda tremendo?
Non ita. vos hinc ergo sequi, præcurrere nunquam,
Aut verbis certare iuvet, quid rectius esset:
Observate, volunt quod idem lex nostra deusq;.
Tum, sua quo sors cuiq; gradu servate regentes:

Nec leges date præpositis: sed iussa quietis
Mentibus accipite: officiumq; capessite læti
Quisq; suum. Si quis non æqua lege superbus
Imperet, haud illi deerit præstantior alter
Qui revocet, fastusq; coërceat vltor acerbos.
Vnanimis sit deniq; amor. quæ iunget in vnum
Fidus amor, stabilita manent: cum singula culpam
Victa trahant celerem, subitamq; infirma ruinam.
Hæc effata silet princeps. vox missa per auras
Facto fine tamen resonat: mellitaq; Suadæ
Auribus insinuans ictis vestigia linquit:
Dum memori sensum tinnitus imagine pascit.
Omnibus vlteriùs sitiens audire cupido.
Mox lætum ingeminant, semperq;, per atria, felix
Vivat iô, per tecta sonant per strata viarum.
Audijt, & voti partem succedere, partem
Omnipotens tenues dispersit rector in auras.
Viveret vt felix, & felix semper vt esset,
Mente dedit genitor: mortalem vivere semper
Non dedit. At rapta pro virgine principe dignum
Solamen dedit. illi animis paremus ovantes,
Illum alacres plausu excipimus, festisq; levamus
Vocibus, extremâ quem voce petiverat ipsa.

Rob. Burhillus in Art. Mag. Coll. Corp. Christ. Socius.

OFficiosa Animæ fœlicis, Regia nuper
Nunc vacuâ Dominâ luget abesse domo.
Et quæ nobilibus longùm virtutibus Aula
Extitit, est tantùm fletibus vrna pijs.
Sin quæ fata alios communi clade resolvunt
In cineres, eadem te quoq;, Diva, manent:
Fœlices inter cineres requiesce; breviq;
Corporis amissi gloria maior erit.
Nam cœlo gaudens hæc per divortia; honorem
Cœlestem carni, mens tua sancta dabit.

Franciscus Sydney Art. Mag. Ædis Christi.

Fr:

FAtis Elizam nuper ablatam invidis
Nunc eſt dolendi tempus, & flendi datum:
Quo genere luctus proſequar funus tuum,
Cineresq; longos, fata quo gemitu tua
Princeps Eliza; gloria & magnum decus
Nuper Britannûm, gaudium populi tui,
Mundi triumphus, columen imperij Anglici?
Tu veritatem gente plantaſti Anglica,
Fœdâ laboranti ſub ignorantia,
Populum beaſti pace fœlici tuum,
Fuiſti aſylum gentibus bello obſitis,
Cum iam potentum premeret hoſtilis furor:
O ter beatam principem imperio tuo,
Quam ſic regentem luſtra complerunt novem.
Quid plura memorem? capere Virtutes tuas
Hæc charta poterit, capere quas mundus nequit?

EXtruere vivi principes tumulos ſolent
Vt ſic relinquant poſteris nomen ſuum;
Miraris ergo Eliza cur tumulum ſibi
Nullum reliquit poſteris: cauſam hanc reor:
Virtute nullus tumulus eſt maior ſua.
Hæc hæc Elizæ nomen æternum dedit.

Imperia fœlix pace cepiſti, parum eſt;
Fœliciori pace rexiſti, parum eſt;
Moriens beatam pace liquiſti Angliam.
Beatiorné morte vel vita haud ſcio.

Io. Foote ex Æde Chriſti in Theol. Bacc.

Ophthalmia Academica ex luctuoſo Auguſtiſſ. principis obitu contracta.

ANglia, quæ quondam geminis radiabat ocellis
Muſarum, miſeris Ponte Vadoque, perit.

Sunt oculi ſine luce vagi; Dea lucis honora
Occidit, atquè ſilens occupat vmbra diem.
Humorumque globi tremuli conſiſtitis orbe,
Quam geſtas (*Vitree*) eſt perdita gemma tua,
Gemma immota riget, gelida eſt Cryſtallina ſphęra,
Chriſticolûm ſtellâ ſphæra Brytanna caret.
Totiuſque oculi luet infortunia dira
Ad lachrymas alter conditus Humor Aquæ.
Solus in hoc felix oculus, quod luctibus aptis
Veſtitur tunicis, (more tenace) nigris.

Rich. Aſtley Art. Mag. Socius Coll. Omnium An.

ERgone? prôh facinus? tres Parcæ cuſpide poſſunt
Eliſabetha tuæ vitæ diſrumpere filum?
Quod ſancti patres, in Petri ſede locati,
Papę ſeptē Et numero ſeptem nequeunt, & numina terræ?
Ergone, dijs odio eſt quondam chariſſima? fallor:
Ille deus bonitate ſuâ qui carcere ſoluit,
Atque Illam multas iactantem pectore curas,
Et iugulo ferrum, & timida cervice ſecurim
Sæpius ah trepidantem è fati faucibus ipſis
Eque lupi vaſto rictu, lanijq; macello
Eripuit; Deus, ille Deus qui protegit omnes
Qui pia ſacra colunt de[illegible] pectoris æſtu;
Ille Deus qui ſole frui, [illegible] ſceptra tenere,
Et Petri navem cum prora & puppe regendam
Et dedit, & tulit in portum tutumq; receſſum:
Ille deus longæ produxit ſtamina vitæ,
Ille deus longæ diſrupit ſtamina vitæ.
Nempe deo quæ viva placet vel mortua ſemper
Grata Deo eſt, ſuperumq; choro; ſic nomine vero
Eliſabeth. Domus alma Dei: quæ Fœmina fertur,
Illa Dei iam diva domo cœloq; beata eſt.

Rob. Willughbeius Art. Mag. Socius Coll. Magd.

Etymo-

Etymologia nominis Elisabeth quod denotat Hebraicè Dei septenarium, Dei plenitudinem, & Dei sortem.

ABdita scrutanti Linguæ mysteria Sanctæ,
Nominis Elisabeth vis manifesta patet.
Hæc vox Hebraicè triplex complectitur omen
(Nomen ter fœlix, cum tria tanta sonet)
Elisabeth *Domini Septenum, Impletio Summi,*
Deniq; *Sors* magni dicitur esse *Dei.*
Hæc tria iuncta suo concordant fœdere pulchro:
His divinus inest nexus & ordo decens.
Res his nominibus respondent, nomina rebus:
Nomen habet numen, nomen & omen habet.
Septenus numerus numerus divinus; in illo
(Magna quòd illa fuit) mystica magna latent.
Septenum Veteres sacrum fecere Minervæ:
Pythagoræ numerus Virginitatis erat.
Elisabeth nomen septenum sumpsit; & inde
Nutrix septenis artibus alma fuit.
Dum vixit, vixit Musis velut altera Pallas:
Virgo Virgineum duxit Elisa chorum.
Castum Pythagoræ numerum suscepit; & inde,
Par tibi, Penelope, Virginitate fuit.
Sic debetur ei *numerus septenus*; & illam
Implevit summis Iupiter vsq; bonis;
Dotibus illa datis, & natis floruit, illa
Plena fuit, pleno cùm bona fonte fluant.
Plena bonis, plena ingenio, plena artibus, acri
Plena intellectu, numine plena Dei.
Hanc Deus omnipotens (ô Sancta Impletio) flatu
Divino implevit: sic nova diva fuit.
Huic deus omnipotens (ô rara Impletio) Vitæ
Implevit cursum; plena, quietis obit,
His impleta Dei donis, *Impletio* rectè
Elisabeth summi dicitur esse *Dei*
Deniq; *Sors-Domini*, qui sorte elegerit illam,
Dicta fuit meritò, nec tamen ex meritis.

Hanc dominus dominam meritis implevit abundè,
 Nec dominam meritis se facit illa suis:
Illa deum possedit, eam iam possidet ille:
 Hinc deus illius sors erat, Illa dej.
Sic mens clausa diu terreno corpore, tandem
 Vasit ad æthereas libera facta domos
Nam ne transiret mortalis culmen honoris,
 Invida mors illam condidit ante diem.
Omnibus officijs Vitæ quæ functa iacebat,
 Non fas est Vitæ de brevitate queri.

Robertus Lloyd LL. Bacc. è Coll. Iesu.

In serenissimam Reginam Elizabetham de nul- ante mortem ægritudine conquestam.

NOn ægrota fuit, qui tum moreretur Elisa?
 Assumpta in coelos numquid Elisa fuit?
Quidni assumpta foret? foret immortalis vtrinq;
 Vt virtute dea, et conditione dea.
Assumi potuit, consumi nescia vivit
 Pars melior, mundò gloria, mensq; Deo.

Optavere tuum Iesuitæ funus Elisa:
 Illos, anne deam te voluisse malum?

Simon Baskervile Art. Mag. & Socius Exon. Coll.

SAevior inclusus depascit tempora Luctus:
 Tempora sed poscunt scripta: Litura vetat.
Dic age quid maneat? taceamne? an more Iuvenci
 Mugitus edens, ora sub æra darem?
Me miserum: Parcis non parcam: Dicite tristes,
 Quid placuit nobis eripuisse Deam?
Non Bullæ, non Bella virûm, non Mille Carinæ
 Non [a] Gesitarum [b] cæca, cruenta cohors,

[a] AGesis dicti Iesuiti (quę apud Gallos bellica sunt instrumẽta) quod ea in omnes principes torqueant.

[b] In re qualibet suis superioribus instar baculi & cadaveris, cæca (vti loquũtur Constitutiones) obedientia inservire tenentur. vid. Cat. Iesuit. f.122.

Nec

Nec morbi domuëre; ſtetit Marpeſia cautes
Fixa: tamen digito concidit icta levi.
Quid cauſæ eſt (Ignes ſacri) quod marcida Veſta
Vertitur in cineres parva favilla rudes?
Fallor? an invidit talem mortalibus ignem
Iupiter iratus, Lumina furta putans?
An magis, id factum voluit prudentia Divûm
Clarius vt Phœbo iuncta Diana micet?
An noſtro Elicius ſuſcepit crimine Elizam,
Viſa quod Æthereis dignior illa choris?
Scilicet id nôrant ſuperi, quam pectore miti
Clauſerat Aonias; Caſta, Diſerta, Pia.
Non ego culpavi Divos, ſed mente volantem
Vmbram tentavi, talibus inde ſonis.
Anglia tota madet lachrymis; quid pergis Eliza
Elyſium? an ſurdis auribus iſta loquor?
Ecce tuos prædam factos: Mox reſpicit illa,
Et vultu placido, falleris (inquit) abi.
Aſpice, felices Angli pro Virgine, Patrem
Accipiunt, pro me, Sceptra Iacobus habet.
O faciles ſuperi: ſic, ſic placet: iſta dolori,
Carminibuſq; meis impoſuere modum.

Iacobus Wrench Art. Mag. Socius Coll. Magda.

ELISABETHA *Dei requies*, requieſcit in ipſo
Ipſa Deo; potuit ſtella hæc cecidiſſe videri
Non eſt lapſa tamen: pars altera proxima nobis
Eclipſin patitur, vicinior altera cœlo
Perpetuâ Solis luſtratur imagine Chriſti.

Geo. Hackewill Art. Mag. & Coll. Ex. Socius.

In obitum Sereniſſimæ Principis Elizabethæ: Ἐπικήδιον.

TOties nefandi multiplex læthi genus
Excogitatum, ſæpe tentatum: foris

Quam nulla rabies hoſtis: infidus domi
Quam nullus vnquam proditor rapuit piam
Manu execrandâ Principem: tandem tuo
An *Mors* aculeo poſſe transfigi putas?
Potuiſſe Regnum Té-ne cum Vitâ ſimul;
Rapere arbitraris? falleris: Princeps enim
Abitura, Regnum voce, tum nutu dedit
Iſtud *Iacobo* debitum: verùm novo
Potita regno vivit, & vivit Deo.
Sic quæ ſuos beavit, imperio diu
Anglos, ab orbe diſſitos toto: magis
Nunc ipſa toto ab orbe (cœlis) diſſita,
Beata turmas inter Angelicas regit.

DEcus hoc perenne magnus Auguſtus tulit,
Qui gloriari poſſet emoriens, datam
Lateritiam, liquiſſe marmoream ſuo
Populo (parente mortuo) Romam: magis
Auguſta Princeps noſtra, Romanam Fidem
Plus quam lateritiam, & volutam ſordibus
Putidis (ſorore mortuâ) cepit: tamen
Anglis reliquit auream moriens ſuis.
Quæ lingua talem Principem dignè ſonet?
Niſi quis haberet vnus, (expertus loquor)
Quot vna voces calluit varias modò,
Impar Elizæ laudibus vates erit:
Tot quando linguas calleat nullus, ſuo
Eliza Elizam prædicet ſemper ſono.

Simon Iuckſ Mag. in Art. ex Æde Chriſti.

QVæ nos fata manent? quæ mala ſydera
Hoc fatale ferunt? Numina! Tempora!
Tanto Brutigenas quid premitis malo?
Omnis ſpes cecidit: tota Britannica
Virtus occubuit: nec pietas moram
Fatis attulit, aut indomitæ neci.

Sydus Palladeum pallida mors rapit,
Et vellit miseris *Palladium* viris,
Elizam perimit cuspide dum fero;
Quæ portus profugis, præsidium reis,
Britannis columen, lumen & exteris,
Et spretis studijs ara, decus, quies:
Eliza heu cineri redditur & luto,
Hanc sed quid sequimur flebilibus modis
Cum nec semper olent lilia, nec rosæ,
Nec semper viridis floribus est honos.
Mutat terra vices; serius, ocius,
Invicto imperio mors regit omnia.
Sed ne pressa malis Anglia corruas,
Certi nam series subsequitur boni
Decus *fœmineum* perdidit Anglia,
Decus dulce *virûm* repperit Anglia.

Ioan. Smith in Art. Mag. ex Æde Christi.

שתה לאל אישה בית

Fœmina sancta Deo struxit venerabile templum:
Nominis hinc ratio est Elisabetha tui.

Fœmina plena Deo sit inuncta charismate sacro:
Elisabetha igitur Fœmina plena Deo es.
Scilicet in terris te implevit gratia summa:
Implet & in cœlis gloria tota Dei.

ב אל שבתה

IN Deo acquievit, sive
Posuit Deum adiutorem suum.

Ὦ θεὸς, ἡσυχίην τις παρθένος εἴς σε ἔθηκεν,
Ἐν σοὶ θαρσαλέως ἡσύχασ' ἠλισάβετ.
Καὶ νῦν ἠλισάβετ τοῖς ἐν νεκροῖσιν ὁμιλεῖ:
Πρὸς θεὸν ἀλλ' ἔχει Σαββατον ἀΐδιον.

Georg. Elgar in LL. Bacc. & Nov. Coll. Socius.

Chronogramma in Annum Christi in quo iuxta communem computationem Angliæ serenissima princeps Elisabetha moriebatur.

MorIens Deo fLoret eLIsa. 1602

SPiritus è cœlo transit cœloq; recurrit
Quem Deus ante dedit, nunc dat Elisa Deo.
Ergo quid mirum, MorIens si fLoret eLIsa?
Namq; Deo MorIens, haud queat illa mori.

Viva fuit mundi, flos est nunc mortua cœli.
Haud perijt, MorIens fLoret eLIsa Deo.

Quæ iacet hoc tumulo rogitas? decus orbis Elisa.
Quæ fuit illa rogas? nomen Elisa sat est.
Vrges? habe. Fuit beata (dum fuit)
Princeps Angligeni gloria stẽmatis.
Grata cunctis, & superis amata,
Corporis formâ Venus at Diana
Mente, Pallas ingenij nitore,
Nec nõ omnigenis Pallas in artibus
Iunonis animũ pectoris claustro gerẽs;
Ergo Diana, Venus, Pallas, Elisa tuo,
Cum Iunone, iacent tot numina magna sepulchro.

NItitur incassum mors invida perdere Elisam,
Terrea dum rapuit, cælica regna dedit.
Ergo quid diros ducis mors atra triumphos
En tibi pars superest integra quæq; deę.
Anglia corpus habet, mentem Deus, orbis honorẽ
Dic mihi, quid rapuit mors fera Elisa tibi.

Tho. Wynnyffens Art. Mag. Coll. Exon.

AT *Regina gravi iamdudum saucia Curâ,*
Vulnus alens Venis, (proh grave vulnus) obit.

Pacet

Parce Elisa pio, & (testor) sine teste dolori,
Qui soleat si non plurima, vera loqui.
Cura tibi fuerat reliquorum incuria, *vulnus*
Et fuit alterius, quod tibi *vulnus* erat.
Ergo iace Terræ princeps, & filia Regis,
Civis eris cœli, filia facta Dei.
Intereà, vos qui tumulatos roditis artus,
Paucus, vt è multo corpore, pulvis eat,
Parcite; nec vobis sacras violare medullas
Dentibus infestis, suadeat vlla fames;
Postera præteritæ credant vt secula famæ,
Quàm tenet exiguus viscera tanta locus.

TEllus & æquor, tuq; qui terram tegis,
Vastoq; mœstus incubas aer solo,
Pluvijs perennes tristibus laxa sinus;
Lachrymis egemus, lachrymas cœlũ tuas
Adiunge nostris, fletus hic noster parũ est.
Spectate cives; quisquis haud didicit mori,
Hàc teste discat. Hìc stupor mundi iacet
Miraculum orbis, (nulla quam ex animis potest
"*Oblivionis* eripere *Mater, dies*,
Sit longa licet) *Elisa*; proh fatum, ò dolor.
Hæc alta sedes mentis, illustre hoc caput,
Prudentiarum viva, dum vivum, domus
Concidit, & vltra restat illius nihil
Nisi auferendum, nil nisi abdendum solo.
Fodite ergo tumulum, qui sit ambabus satis,
Patriæ atq; Elisæ: Pompa lugubris veni,
Iustitia, Spes, Pax, alma Libertas, veni
Relligio, perijt Elisa, vos etiam brevi
(Proh vera vereor fata) debetis mori.
Iustitia Libram, tu Anchoram spes, Pax Togam,
Et Pileum tu misera Libertas, sacram
Relligio vestem, ponite ad tumulum Deę,
Iuxta cadaver istud, vt sacras procul
Secum sub vmbras, Illa quæ dedit, ferat.
Dein, quo velitis, vltimas terræ plagas

Adite, noſtris exules, (quando Iovi
Ita eſt ſtatutum) Eliſa! proh fatum, ô dolor.
At levia querimur; Tota ferales gerat
Natura cultus, luctui anguſta eſt nimis.
Humana turba; ſiderum ô frequens cohors,
Extincta lux eſt noſtra, cur vobis micat?
O tu à tonante paſſa quæ ſtuprum es Iove;
Lycaone prognata, deſcendas licet,
Noſtrâq; longam Thamiſi ſedes ſitim,
Et pellicatus eluas ſordes tui,
Vt pura venias; adſit & cuſtos tuus,
Vel cum ſagittis; non poteſt nobis malum
Gravius timeri. Eliſa! proh fatum, ô dolor.
Et tu Boote, plauſtra tantiſper tua
Solitumq; curſum cohibe, & in terras redi,
Vt axe funus iſtud extollas tuo,
Cœleſte funus: tuq; vocalis Lyra,
Fidibus remiſſis carmen infœlix ſona.
Lyræq; Cycne proximum in cœlo decus,
Fatale triſti voce moduleris melos,
Sed quale ripis flebilis Cayſtrijs,
Meandri ad vndas, morte vicinâ ſonas,
Lateq; canta. Eliſa! proh fatum, ô dolor.
Tuq; igneorum magne ſignorum Leo
Regnator, altas igne qui veſtis iubas,
Rugito triſte, atq; effice vt cœlum tremat,
Ruptoq; videat orbe, quod fiat, nefas.
At quid moraris? latius torvos polo
Protende vultus: Angli (inauditum prius)
Tremũt Leones; qui (licet tres ſint) citò
Niſi hiſce quartum iunxeris, fugam parãt.
Atq; ecce factũ eſt; ſũma tibi laus, ô Leo
Iudæ, in timore qui iubes ſummo ratas
Spes eſſe noſtras. Laus tibi. Siſto queri.

Brianus Holled Art. Mag. Coll. Magdal.

NOn opus est tumulo Mausoli: nec tibi marmor
Præstat opem; (ô Phœnix quondam nostri orbis Eliza)
Quæ tot gemmarum candens fulgore coruscas,
Huius & occidui tenebras quæ discutis orbis.
Carmine non opus est: Nec det tibi Musa decorē,
Quæ vitam Musis tribuisti; carmina laudes
Nostra tuas minuunt; superas quæ carmine Musas;
Quæq; tuos superas virtutis honore parentes.
Ergo quid? An nullo tumulo decoratur Eliza?
Principis aut tantæ nusquàm monumenta manebunt?
Absit. In æternum tumulum sibi struxit Eliza,
Quem nec livor edax, nec tempus perdere possit.
Haud tamen è duro saxo, ferrovè: sed illa
Relligione suum fundavit; culmen ad astra
Vsq; ferens, veræ splendens pietatis honore
Quo tandem fœlix vivit sine fine beata.

T. L. Reginensis.

PRata, homines, luna, & stellæ, sol, totaq; cœli
Et superûm splendens, plangite, flete, cohors.
Luna tuum, stellæ, & sol vestrum abscondite vultum,
Et mœstam mecum iam celebrate diem.
Elisabetha iacet, Phœnix, sol, lunaq; , stellas
Mundi cuncta nigram, plangite, flete, diem.
Qualis enim stellas micat inter luna minores:
Regnantes inter, talis Eliza fuit.
Ante diem, quo nata parens purissima Christi est
Nata etiam nobis Elisabetha fuit.
Scilicet illa futura parens erat altera Christi,
Per quam relligio reddita, & aucta fuit.
Ante diem quo prædicta incarnatio Christi,
Deseruit carnem cælica virgo suam.
Et quando Christus matris descendit in aluum,
In gremium ascendit filia casta patris.
Pace vt suscepit, sic pace & sceptra gerebat.
Pace, & ad Æthereas ibat Eliza domos.

Sub qua relligio permultos floruit annos,
Tollere Quam nec vis,nec potuere doli.
Sed quid prata, homines, stellæ,sol, totaq; cœli
Militia, haud lugent,funera fleutve tua?
Rident prata,homines,stellæ,sol, cunctaq; læto
Aspiciunt vultu,& tempora læta canunt.
Altera lux oritur, luci exæquanda priori,
Quæ pellit tenebras,cunctaq; læta facit.
Anglia quam fœlix,cui reges numen ademptos,
Regno haud indignos indicat esse suo.

Robertus Chamberlaine Iohannensis, Armig.

ORe quam nullus potuit diserto
Laudibus dignā celebrare dignis,
Aure quam nullus satura,satisue
Gloria audivit nimia politam;
Hujus an possint lachrymis ocelli
Tristis & vultus modicis popelli,
Funera flere?
Cujus in Musas pietas,amorq;
Fluxit,& totis fluvijs rigavit
Hortulos sacræ celebres Minervæ;
Hanc satis luxit,nimiumve quisquam?
Vberes salsos referant amoris
Flumini tanto fluviosve, roris
Satvè sorores?
Cujus aspectu proceres benigno
Lumen hauserunt,animam,decusq;
Cuius insigni radiante luce
Nobiles tanquàm micuere stellæ:
Huius eclipsim proceres timentes,
Nobiles mœsta facie videntes
Satne dolebunt?
Cujus illustris diadema virtus
Munijt, vallis animumq; sepsit,
Addidit vires juveni, seniq;

Robur accrescens, pueros peritos
Fecit, affecit tumidos timore,
Indidit pectus timidis, amore
Cuncta refecit.
Cujus insignis probitas fideles
Militi vires tribuit, quietem
Præbuit cunctis placidam, periclo
Subditos tutos statuens ab omni.
Huius haud omnes potuêre Musæ
Splendidas laudes celebrare fusè:
Musa taceto.

P. D. Armiger Reginensis.

TRoianum fuit oppidum
Tutum, bellipotens, Marteq; fervidum,
Sacrum Palladium dum tenuit mænia fortia.
Victrix floruit Anglia,
Fœlix, dives opum, ditior artibus,
Pallas Brutigenis dum rigidis martia præfuit.
Hinc illæ lachrymæ fluunt,
Hinc planctus, populus dum sua pectora
Concussit manibus, movit & ad sydera brachia;
Hinc, quod præfuit & fuit
Anglis Palladium, nunc quasi non fiet,
Exortus timidis mox timor est frigidus inscijs:
Sperant sed melius viri
Cordati, recreant quos nova gaudia.
Viderunt etenim regna tibi Rex fore debita.
Hinc sic talia dicere
Cæperunt: tenuit sydera Elisabeth
Custos Palladij. Palladium quid fuit? ipsane?
Non; verbi sacra pagina.
Ergo Palladium Pallade mortua
Servet Brutigenas, si teneat quod colit Anglia.

Nunc

Nunc carmen lachrymæ decent,
Sed miſcent lachrymis gaudia carmina,
Sublatâ quoniam conſequimur Pallade Apollinem.

R. D. Gen. Regiuenſis.

FAllitur extinctam dux ille mitratus Elizam
Qui credit, atq; inde inſulam
Britanniæ ſpe devorat.
Fallitur augurio malus arbiter ille Britanni
Dolman. Sceptri, novos titillulos
Hæredis vrgens exteri.
Nam dea non moritur ſed vivit Eliza, deumq;
Connubio iunxit ſibi
Corregnat vt Iuno Iove;
Dimiſitq; ſuo hæredi duo regna Iacobo
Ipſe vt Britannis imperet,
Illa interim adſtat Angelis.

Tho. Gewen. Exon. generoſ.

NOn fuit imperijs tua laus incluſa duobus
Sed lapis incluſum corpus (Eliza) tegit,
Belgia te luget voce & gens anglica verſu,
Teq; Iovis ſobolem vox ſimul vna facit.
Obſequioq; tuo mea muſa aptata, querelas
Triſtis ad exequias fundit (Eliza) tuas.

O patre claro filia clarior,
O matre pulchrâ filia pulchrior,
Quàm numen ingens vrnula continet
Dum terra-mater te (dea) contegit.

Geor. Grenvyll, Cornubienſis, Armig.

Aut.

Anagrammatismus,

Elizabetha Tudara Regina

In zelo gratia à Deo habetur.

Te tua nobilitas reginam fecit: at ipse
Zelus te gratam fecit, Eliza, Deo.

PEctore rivales planctus plaususq; morantur:
Qui sibi conveniant, fundit vterq; modos.
Hiq; illiq; placent; sacratur vtrisq; columna
Pars *supera exequias, infera lata* refert.

Colum. Reginæ Elizab. & Regi Iac. dicata.

Sunt nimis exigui quos auferat hora dolores:
Non in tam tenui sunt mala nostra gradu.
Amans Dei entheasq; docta literas
Deoq; chara, & omnibus scientijs,
Princeps nobiliũ sanguine stẽmatũ
Illustris cecidit lux decus Angliæ,
Et Phœnix veteris noviq; mũdi,
Proles dia Iovis potens Eliza.
Qua concidente gratiæ
Musęq; cunctę mortuę
Occubuere simul:
Lugete Angli.
Gaudete Angli:
Emicuere simul
Musęq; cũctę fulgidę
Et gratię omnes floridę,
Extollẽte suũ iubar Iacobo;
Qui Phœnix veteris noviq; mũdi
Spes, lumẽ, columẽ lux, dec⁹, Anglię,
Clarus nobilium sanguine stemmatũ,
Deoq; charus imperat Britanniæ.
Sacræ colens fovensq; scripta paginæ.
Non ergo instabili stant bona nostra gradu,
Sunt satis ingentes quos attulit hora triumphi?

Apostrophe.

TV quòd ades pater alme tuis (Iacobe) triumpho,
Sed quod abest, stupeo, Mater Eliza suis.
Sic & vtrinq stupet mens, vt nisi plenus amore
Solverat ora pudor, clauderet ora stupor.

Ioh. Chichester Devoniensis Equ. Fil.

Epitaph.

VIrgineos cineres brevis hæc capit vrnula, laudes
Elizæ capiunt sydera, terra, Thetis.
Qua vivâ hospitium dignum invenere sub astris
Maiestas, pietas, candor, & alma fides.
Mortuâ at hospitium vix invenere sub astris
Maiestas, pietas vera, vel alma fides.
Plangimus ergo omnes orbati Principe tantâ
Pro qua Vesta, Thetis, Mundus & ipse gemit.

Tho. Polwheele Exon.

NVllus, Elisa, tibi proprio de corpore natus:
Solamen mortis dulce quod esse solet.
Nam tibi vix similem poterat natura creare:
Dissimilem de te, grande creare nefas.
Sed tibi noster amor manet, æternùmq; manebit:
Et testis vitæ gloria fida tuæ.
Linquis & hæredi regnum, qui teq; tuosq;
Diligit, & memores nos cupit esse tui.
Hæc tibi solantur mortem, quòdq; æthere felix
Mens vivat, magnos non minor inter avos.

Ioh. Babington gen. è Coll. Corporis Christi.

ANgliacam vates Maro si spectaret Elizam,
Punica vix laudes ferret Elisa tuas;

Punica Brutigenæ quod Elizæ cedit Eliza,
Castior hæc,& non cultior ista fuit.

Ad Elizam mense Martio defunctam.

CArpere conatur te livor Eliza, sed inquit,
Ah malè quod carpam nil dat Eliza mali.
Non intacta tamen tu candida vivis, Elizam
Livor nescivit carpere,fata sciunt:
Sed carpunt quòd mense tuo Mars,tempora Martis
Tùm fera,tùm verè ferrea semper eant.

Edm. Harewell Gen. ex Æde Christi.

In obitum Reginæ Elisabethæ.

NOmen quod decus est prioris æui,
Nomen sæcula quod colent futura,
Nomen nectare gratius beato,
Nomen charius his & his ocellis,
Nomen quod sapit Atticos lepores,
Hyblam quod redolet,refert Hymettum,
Nomen nobile, dulce, dedicatum
Cœlo seu domui,Deo, saluti,
Nomen Cecropiæ libens Elisæ
Versu dicere splendido volebam.
O sed quam graue, quam nimis molestum
Nobis,qui colimus maligniores
Musas,& premimur dolore iusto,
Metris dicere splendidis Elizam.
Ergo Mnemosynen roga parentem
Dulcis Calliope,daret perenne
Vt nomen,decus & virens Elizæ.
Et vos quæ colitis sacros recessus
Musæ, Castaliâ domo sonate
Et in Pierijs iugis Elizam,
Vt livore sit hæc favente felix.

Et tu Phœbe refer sacros honores
Terrarum Dominæ, deæ Britannûm.
Illi pagina vestra dedicetur
Nec nomen sinat interire tantum.
Sed cum me dolor acris intus vrit,
Ingens & gemitus negat Camœnam,
Singultus, lachrymas, pios dolores
Illi, seu pia thura, victimasvè,
Pro nostris fero nænijs. Elizæ
Nostrum hoc ad cineres erit Tributum

Rich. Grene gen. ex Æde Christi.

VIx credenda loquor; moritur rosa vere recenti;
Naturâ invitâ, non reditura, perit.
Quid dixi? Moritur? fallor; nam vivit Olympo,
Vnde exorta fuit, non peritura, redit.

Rob. Freke, Ænean. gen.

QVę nostrâ impensè fovit modò Viva camœnâ,
Defunctæ laudes nostra camœna canat.

Elisabetha cum Davide comparatio.

ACcipe, *Davidi* cur æquiparemus *Elisam*,
Esse prout poterunt fœmina, virq; pares.
Concupijt *Saulus Davidis* tollere vitam,
Cùm nondum populi Rex foret ille sui:
Turbaq; *Saulorum*, cùm nondum sceptra teneres,
Concupijt vitam tollere, *Elisa*, tuam.
Sed *Deus* in regni *Davidem* sede locavit:
Et *tibi* commisit regia sceptra *Deus*.
Maxima cura fuit regnum *Davidis* adepti,
Vt coleret *purâ relligione* Deum:
In regno positam nec maior habebat *Elisam*
Quàm *vera* Christi *relligionis* amor.

Lustra

Lustra suum populum *Davides* rexerat *octo*:
Octo vltra populum rexit *Elisa* suum.
Tempora *Davidis bis septem* lustra fuêrunt:
Et *quasi tot* vitam vixit *Elisa* suam.
Deniq; *Davidis Solomon* successerat hæres:
Et *Solomona* Anglo liquit *Elisa* throno.

Quæ modò Reginam regno spoliârat, eidem
Mors eadem ad regnum semita recta fuit.
Scilicet hoc regno terrestri morte relicto,
Cum Christo in superis regnat Elisa polis.

Ioan. Yonge Nov. Coll. Socius.

CVm tua fama recens totum transmissa per orbẽ
Gloriæ inassuetum spargat Eliza iubar,
Moribus ista tuis prætexo vmbracula, tantum
Quod nequeam recto lumine ferre diem.

QValis in Euphrate, aut Nili stagnantibus arvis
Nocte sub astusis lotos caput abluit vndis,
Ornet vt expansum ad solis nova lumina florem;
Qualis Marmaricos Elephas se mergit in amnes,
Vt vigil ad Lunam primum Titana salutet
Pronus, & aspersis redeat purgatus ab vndis:
Qualis & aggestum metuens attingere limum
Cingitur, algenti capiturq; Ermella sub Arcto,
Ne maculet niveos regum gestamina villos;
Talis adorati spirabas numine Christi,
Talis erat vitæ candor Eliza tuæ.

Qualis odorifero thuri contermina stacte
Myrrha fluit lachrymans, truncoq; tenacius hæret
Montibus alta Sabæ, quoties quassata sub Euris.
Quale crocum denso crinitur gramine culmos,
Puniceosq; levat flores, quod sæpius hortis
Pannonijs, quod Corycijs calcatur in agris,

Qualis ab Indorum prodit fornacibus anthrax
Omne latus radians, modicùm quem fortè rubentē
Divite Narsingæ modô legit Maurus arena.
Talis ab innumeris huic virtus aucta periclis
Crevit, & à damnis maior Eliza fuit.

Qualis purpureis imitatus coccina pennis
Porphyrio, Domini castos vix passus amores,
Ambulat, & vidui meditatur commoda lecti:
Qualiter in regum digitis radiare Smaragdus
Castus, & æterna solitus vernare iuventa,
Rumpitur indignans Hymenæi ad gaudia sacri:
Qualis Monoceros, quem tota armenta per Indos
Expectant sacro medicantem flumina cornu,
Virgineum, positis iris, miratur honorem.
Talis virgineo modò suspiravit amore
Christum, & mortales sprevit Eliza toros.

Qualiter alatos Arabum sub vere colubros
Littore Memphitico, & toto fugat aere victos
Sacra Ibis; in patrias cogens remeare paludes.
Qualiter ignotis venit auxiliator ab oris,
Defenditq; novas per rura Seleucides herbas,
Infestas pellens Casio de monte Locustas.
Qualiter æquoreis regnans delphinus in vndis
Iniecta irato diffringit retia saltu,
Et prior erumpens captivum liberat agmen.
Taliter infestas modò sparsit vbiq; Locustas,
Cumq; suis Latios cavit Eliza dolos.

Qualis in Eridano, erectis dum remigat alis,
Cycnus, longè aquilam cernens, se tollit ab vndis
Cum plausu, & rapidum vincit, non provocat, hostē.
Qualis & innocuum leo qui vix terruit Afrum,
Cum videt armatas sylvam cinxisse cohortes,
Sternit equos, iuvenesq;, & rictu effulminat iras.
Quale Elephas, rostro obstantes qui sūmovet hędos,
Cum videt infestum nexu, morsuq; draconem,

Sævit, & impacto ferit ilia lubrica dente:
Talis læsa prius tumidos prostravit Iberos,
Perq; fretum infestas sparsit Eliza rates.

Talis erat viva; at moriens pro tempore corpus
Exuit, vt fœlix induat vsq; deum.
Sic Arabes casiam crudis sub pellibus abdunt,
Vt, ligno à verme eroso, crassaq; medulla,
Mittat odoratas intacto cortice merces.
Sic indiscretum quod vili accreverat algæ
Gurgite in Adriaco, insuetas cum senserit auras
Coralium in gemmam lictis durescit ab vndis.
Plenius accepto sic lumine Luna refulget
(Quę modo terrenâ defectum est passa sub vmbra)
Fugerit vt caudam, aut caput eluctata Draconis.
Sic in morte diu (veteris quæ est cauda draconis)
Non stetit amissâ Cynthia nostra die.

Talis erat moriens; at mox vbi gaudia cœli
Carpsit, quis poterit dicere qualis erat.

Epitaphium in serenissimam principem Elizabetham Angliæ, Franciæ, & Hyberniæ Reginam.

EN vbi Eliza iacet; pietate & pace beata;
Quæ sceptra Angligenûm ter tria lustra tulit:
Virgo virûm exemplar; Mundi stupor; anchora Belgæ;
Gloria Saxonidæ; Pallade, Marte potens.

Gulhel. Bridges Nov. Coll. Socius.

FElices illi nimiùm, ô Regina, Poetæ
Auspicijs regni qui cecinere tuis.
Discussâ quibus affulsit caligine, Solis
Iustitiæ, primùm te radiante, iubar.
Infantem haud aliter Christum quærentibus, index
Fulsit tergeminis stella diurna Magis.

Ergo ſuis illi ominibus feliciter vſi,
Augurijq; ſui ſpes habuere ratas.
Viva,videnſq;, regenſq; illos gaudere iubebas,
Nos plorare iubes Eliſabetha cinis.
Nempe pijs mors hæc tua ſola quid ominis affert,
Sola quid augurij mors, niſi triſtis,habet.
Sic quæ clara diù præluxit euntibus,index
Occidit attonitis ſtella repente Magis.

Tandem ſollicitis ſed & illa benigna refulgens
Præcurrit cupidis in ſua vota viris,
Defectum poſthâc omnem indignata, priuſquàm
Signaſſet trepido lumine ſtrata Dei:
Sic etiam noſtro,ſexum mutata priorem
Index Chriſte,tui,ſtella reverſa polo eſt.
Duret in adventum, ſi ſic placet,illa ſecundum
(Nec priùs occaſum ſentiat illa) tuum.
Supplicibus precibus,modò ſit fas, iſta precamur,
Supremuſq; Deus,ſi velit iſta velit.

Verùm oblita tui digreſſa, revertere Muſa,
Veſtra quod expectet carmina, funus adeſt.
Non oblita mei digreſſa, nec inſcia, quæro
Vt poſſim hoc humeros faſce levare meos.
Certè funereum promiſi carmen Eliſæ,
Hoc etenim pietas officioſa velit.
Sed vitam moreſq; tuos, & ſplendida ſceptra,
Dum mihi mens agitat, deliquio ipſa labat.
Qualis,qualis eras,te,te,Regina caremus,
Damni huius ſenſus dicere plura vetat.
Sic tantùm vegeta eſt in carmina Muſa, pijq;
Principis auſpicijs, funeribuſq; mali.

VIrgo puella,ſenex: Regina,& ſubdita, Virgo:
Vt ſata,ſic etiam mortua,Virgo fuit.
Bis ſeptena ſenex Virgo. fœliciter egit,
Luſtraq; regnavit,Regia Virgo,novem.

Quip-

Quippè futura polo quod erat, priùs Angelus esse
Cæpit: & humanæ nescia sortis erat.

Gulielmus Twisse Nov. Coll. Socius.

ACcipe felicem cur prædicet orbis Elizam,
Cur æquet titulis sæcula prisca suis.
Regibus orta, hæres succedit certa sororis,
Fortuna imperio mox superaddit opes.
Larga simùl tribuit speciem natura decoram,
Vt digna imperio vivida forma foret.
Hæc tamen obscurat virtutum gloria: virgo
Aversata malum, docta, pudica, pia.
Sic multas hiemes, decies septenaq; vidit
Solstitia, his alis mox super astra volat.
Ergo fuit felix auram dum traxit Eliza
Æthercam, nisi quid fallat Aristoteles:
Sin melius stomacho sapiant documenta Solonis,
Mortua felices inter habenda venit.

FAbula Saturni sunt aurea sæcula: pacem
Viva parit, moriens firmat Eliza suis.
Vlterius iuga nulla animum corpusve fatigent,
Papicolæ fugiant, Anglia Christicola est.

POstponunt alij regno pietatis amorem,
Nec populum Domini, sed sua, iura docent:
Posthabuit regnum curę pietatis Eliza,
Sola dei mandans, non sua, iura suis.
Indulgent alij genio virtute relicta,
Contemnuntq; artes, diâ Minerva, tuas:
Nescia luxurię Musis se vovit Eliza,
Quoslibet externos docta referre sonos.
Effuso multi sociorum sanguine gaudent,
Queîs adaperta placet ianua Iane tua:
Succurrit miseris quos fregerat hostis Eliza,
At patriæ tribuit otia grata suæ.

Nos igitur memori celebremus carmine ademptam,
Vivat & in vivo pectore Eliza diu.

Quam bene iuncta quiescis avo? fuit ille virorum
Sol, tu fœminei casta Diana chori.

Robertus Polden Nov. Coll. Socius.

Serenissimæ Elizabethæ Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ nuper Reginæ Epitaphium.

QVi legis hæc, nomen paritèr, vitamq; sepultæ,
Et mortis discas, sed sine labe, genus,
Elisabetha novem per lustra, Britannica, Virgo,
Sceptra tenens, molli jam requiescit humo.
Non illam Romana lues, sceleratáq; dextra,
Et toties vano vis resoluta metu:
Non avidi numerosa cohors violavit Iberi,
Quæq; aliàs dextrô tela repulsa Deo.
Sed matura Deo, mente, atq; ætate, vocanti:
Cœlum animam, similis corpora pulvis habet.

Cōditur hoc tumulo (triplici Deus ordine gaudet)
Princeps, Virgo, Parens, docta, pudica, potēs.
Virgo licèt fuerit, prosit dixisse parentem;
Namq; parens doctis, dum fuit, illa fuit.

CVr tibi Musarum plangant Epicedia, quæris?
Cur fluat ad tristes docta Camœna rogos?
Carmine (si nescis) vates revocavit ab Orco
Euridicen: vitæ munera carmen habet.

MIraris cur plura tibi dare carmina nolim?
Cur nolim in laudes longior esse tuas?
Flere meos potui, sed non cantare dolores.
Lætum opus ingenij est: triste doloris onus.

Franc. Alexander Nov. Coll. Socius.

Cùm

CVm propè diva diem ſentiret Eliſa ſupremum,
Et fore iam vitæ fila ſecanda ſuæ:
Quô tria dona tribus, per verba noviſſima, natis
Legaret, poſitâ iuſſit adeſſe morâ.
Nec mora, conveniunt: vultu regina ſereno,
Oſcula dat natis non repetenda ſuis.
Atque vbi verba viam (quibus impediêre meatus
Gaudia ſtelliferi præmeditata poli)
Invenere ſuam, cunctas beat ordine natas,
Et nova nunc vates fata futura canit.
Flore iuventutis mihi nata Britannia, dixit,
Vt prior ætate es, ſic & honore prior.
Quam tibi do pacem moritura, tuebitur hæres;
Es neq; finitimis præda futura locis.
Eccè Tributa tibi perſolvet Hibernica tellus,
Et tibi dona feret ſplendida Galla ſoror.
Dacus & Aſſyrius te noverit, Afer, & Indus,
Te Rhodani potor, Belga, Gelonus, Iber.
Magna per immenſum tua fama vagabitur orbem,
Audiet atque tuum nomen vterq; polus.
At tu, quæ colubros non paſcis Hibernia (ducit
Vipera progenies ſed tamen indè genus)
Germanæ ſis ſerva tuæ, huius iuſſa capeſſe,
Nec facili pigeat ſubdere colla iugo.
Et iam tempus erit (quod non procul auguror eſſe)
Tyronus vinctas cum dabit ipſe manus.
Hinc tibi proſperitas orta eſt, hinc copia rerum,
Hinc pax in longos perpetuata dies.
Et tu Nata minor, ſis Gallia ſerva ſorori,
Eſt tibi ſervitium tale futura ſalus.
Nulla ſalus bello, pacem tu poſce ſororem,
Non poſces citius quàm dabit illa tibi.
Iam morior: quid reſtat adhuc, niſi vt omnia donē?
Cœlo animam, mundo facta, cadaver humo?

Scire cupis cauſam *pridiè cur, ſacra, diei
Virginis, ad ſuperas ſcandit *Eliſa* domus?

*Obiit. n. regina pridie annunciationis Virginis Mariæ.

Diſce

Disce brevi moritura diem sibi legerat istum,
Cætera quòd paribus, par sit vtrisq; dies.
Virgo *Maria* fuit, fuit *illa*: beata *Maria*,
Inter fœmineum *Beta* beata genus.
Hæres *huic* princeps fuit, *altera* principis hæres,
Hæc vtero gessit, corde sed *illa* Deum.
Cætera cùm similes, cùm cætera pœne gemellæ,
Hoc vno parilem non habuere statum:
In terris *hæc* vixit inops, nunc regnat in astris:
Illa solo, superis *illa* beata polis.

Esse quid hoc dicam? cecidit *Rosa* tempore veris,
Frigore quam nequijt lædere bruma suo.
Quid dixi demens, potuit non lædere bruma?
Ver fuit æternum, dum *Rosa* nostra fuit.

Vt tua vita, tuis, regina Britanna, Britannis
Vita fuit: sic mors, mors tua, facta tuis.
Ecce sed in tantis (sic dij voluere) periclis,
Exoritur Phœnix, te moriente, novus.
Hoc cineres fecere tui: sic viva beatum
Fecisti populum; sic pia, morte beas.

Miraris, regina suos cur clauderet annos
Tempore, quo finem temporis annus habet?
Scilicet vt scires annos, & secula, tali
Principe sublatâ, nunc habitura modum.

SI genus, ingenium, pietas, prudentia, regnum,
Plebis amor, sincera fides, doctrina, venustas,
Mortali poterant vitam donasse perennem:
Illius ad bustum non sic ego threna dedissem,
Cui genus, ingenium, pietas, prudentia, regnum,
Plebis amor, sincera fides, doctrina, venustas.

Esse probat verum sese fingendo poetam
Naso, dùm, *ingenium grande doloris*, ait.

Nam

Nam mihi Reginæ crudelia fata dolenti
Nec fuit ingenium, mica nec vna salis.
Scilicet vt mirum modicus dolor addit acumen:
Ingens, ingenium sic rapit omne dolor.

Conclusio ad Regem.

NE tuis vertas vitio, Iacobe,
Morte quòd demptã doleant Elisã,
Cum tuas laudes potius canentes,
Læta sonarent.
Nullus oblato duce te triumphat,
Quin & ablatâ dolet hic Elisâ,
Pœnè nã Princeps manet idem: adempto
Nomine, sexu.
Quæ tibi virtus animi refulget
Viva, viventi fuit hæc Elisæ,
Hinc tibi Pæan canitur, sed illi
Flebile carmen.

Tho. Morton ex Aulâ Edmundi.

SIc de virginea dea triumphos
Mors duxêre & Hymen: prior peremit
(Si demi liceat deam,) secundus
Iunxit connubio perennitati:
Aer cantat, hymen; novant choreas
Orbes, astra faces ferunt: Britanni
Plangunt intereà omnibus querelis,
Nullus cantat, hymen; novat choreas
Nullus, nullus amat faces, sed omnes
Lugubres liquidas eunt in vndas,
Nam rectrix moduli, facis, chorêæ,
Impar terrigenis regit superna.

Samuel Radcliffe Ænea-nas.

VNa, tamen quadruplex: per ſexum *Fœmina*, *Virgo*
Per vitam, *Princeps* per regnum, *Diva* per aſtra.
Fœmina nata: dedit ſexum natura, ſed ipſi
Prævaluit virtus, nec facta eſt fœmina ſexu.
Virgo caſta: decor dum vix ſinit eſſe, quod optat,
Quo minùs ille ſinit, magis abſtinuiſſe decorum.
Princeps iuſta: hæres Aſtrææ; * *Libra* ſecuta eſt
Et *Leo* præceſſit: conſpirant fortia iuſtis.
Diva beata: illi dum terra putatur inepta,
Aptius eſt cœlum: redit huc, fuit vnde profecta.
Princeps ſola fuit regno; non ſola ſupernè
In cœlo Diva eſt: ſed Diva eſt principe maior.

* In octavâ ſpærâ, Leo præcedit, & libra ſequitur Virginem.

GNoſſiacam Bacchus referebat in aſtra coronam;
Sed capiti impoſita eſt, Eliſabetha, tuo.
Compreſſi lachrymas: tu cœlo fauſta triumphas,
Et fauſti in terris nos, tua turba, ſumus.

Guliel. Combe Ædis Chriſti, Gen.

VEre novo fatis (fieri quis credat?) Eliſa
Succubuit, tunc cum creſcere quæq; ſolent.
Ver erat autumnus nobis: pulcherrima namq;
Tum cecidit, noſtro quæ fuit, herba, ſolo.
Tempora redduntur præpoſtera funere Elizæ:
Vere [a] obit, autumno quæ prius [b] orta fuit.
Scilicet hoc pacto verna autumnalia fiunt
Tempora, vt autumni verna fuère prius.

[a] Obijt 24. Mar. [b] Nata eſt 7. Septemb.

Verno tempore flos occidit Angliæ,
Cumq; illo Angligenæ, ni citò floſculus
Ex illo ſimilis creſceret aureus.

Rob. Atye: è Coll. Mert. Gen.

Anagram-

Anagramma.

Elisabetha Tuddera Regina.
Regnabat Hestera Eli David.

EXercitatos muneribus *Altissimi*
Quæro; sed ô quam fœmina
Superavit omnes. *Hestera* non cesserit
Divinus ardor, purior
Relligio, subsidium miserrimis piæ
Fides *Elisa* singulis.
Si quid *Davidi* contigit fœlicius,
Seu *Regna*, seu clarissimos
Belli exitus velis; nec huic Anglûm decus
Cedit triumphis plurimis.
Cultus *Eli*, clementiam, sacras preces
Amplectitur, sed sanctiùs.
Æquas *Elisa* condit (vt nihil prius)
Servatque leges conditas.
Indulget; at non dat supremi Numinis
Laudes Lupis, Leonibus,
Porcis terendas. In malos asperrima est;
Et exquilinos alites
Vndique volantes carcere & palis premit,
Et morte nomen inclytum
Supra senem senex virum virgo extulit,
Viuens pie, moriens piè.
Fœlix quater Britannia, in qua sanctior
Regnabat Hestera, Eli, David.

Guliel. Bennion Coll. Om. Anim.

EDito funebres mecum mea Musa querelas
Et lachrymas funde, & lachrymis superaddito carmen,
Orba parente suâ iacet Anglia, mortua Eliza est,
Gloria fœminei sexus, Astræa Britanna,
Delitiæ generis nostri, admiratio mundi,
Virgo obijt, quâ non præstantior altera, Virgo
Ortu obituq; suo, Regina, & filia Regum;
Quæq; tulit nobis, ea gaudia sustulit Anglis,

Gau-

Gaudia virgineo connata & mortua sceptro.
O quam te memorat Virgo mea Musa, mihiq;
(Qui nequeo narrare) refert tua in ordine gesta?
Tu patriam externis quassatam viribus auges,
Auctæ (ne rursus timeat) caput exeris. hostem
Parua diu timuit, iam Magna timetur ab hoste.
Tu patriam certis confirmas legibus, æquo
Filia Iustitiæ discernens singula iure;
Iustitiam Imperij sequitur Pax, Copia pacem.
Anglia (cum fueras privata) minoribus illis
Dijs antiquorum, Papæq; penatibus olim
Subdita erat; Tecum, conversa est Anglia vero
Et donata Deo, spreto cum Dæmone patre
Purpureæ in terris Meretricis imagine, Papa.
Spreta etiam est Fratrum Iebusitaca turba malorū,
Et rasi monachi, reverendi infamia cleri:
Quid iuvat hæc fecisse tamen, quidve ista Britannis
Commoda procurasse? nihil Mors talia curat.
Proh dolor, hic finis rerum est, hæc meta laborum,
Hic pacem firmare, & leges condere sacras,
Deinde mori. Regum mors vltimus Ostracismus.
Ergone tam subitò sepelitur nomen Elizæ?
Et mors perpetuam tollit cum corpore famam?
Absit, vt hæc nostras tangant deliria mentes;
Parte tui meliore superstes vivis Eliza,
Viva per ora hominum volitas, quot corda bonorū,
Tot fœlix habeas, virgo Regina, sepulchra.
Edere funebres nunc desine Musa querelas
Carminibusq; modum, lachrymisq; imponito finē.
Mors iter in cœlos. huc iuit mortua Eliza,
Sub pedibusq; videt, quos rexit viva Britannos.

Guiliel. Osbelston ex Æde Christi.

PLoremus Angli, dubius effulsit dies,
Reliquit astra Phœbus Oceano cadens,
Tristisq; mundus nubilo pallet novo,

Hic

Hic vultur, illic luctifer bubo gemit
Gemitu sinistro nuncij semper mali.
Ploremus, inquam, sic enim Parcæ volunt:
Perpetuus vrget virginem Elizam sopor,
Cujus dolendum quis satis casum fleat?
Primis ab annis hæc sinu fovit suo
Novem sorores, moribus præstans bonis,
Pietate constans, paginæ zelo sacræ
Ardens; amore cuius, heu, passa haud leue
Pondus laboris, quàm graue enarrent senes.
Proxima sorori fræna moderata imperî
Placide, quiete, ac plebe plaudenti manu;
Hâc, hâc regente, iura florebant bona,
Relligio, pietas, & sacrum verbum Dei:
Hinc, hinc bonorum ditis ad plenum Angliæ
Cornu benigno copia affluxit diu:
Huic magna populi cura; consuluit magis
Regni saluti, quam suæ (ficta haud loquor.)
Morbo laborans, signa designat sui
Studij, Stuartum proximum hæredem, vocans.
(Qui iam potitur iure regali throno
Pace & fruatur, faxit, ô faxit, Deus)
Moritura Eliza manibus æterni Dei
Commisit inde spiritum, corpus solo,
Minimè repugnans, & lubens morti dedit.
Quam incerta fata numinum, & nostræ brevis
Quàm summa vitæ est? vna mors omnes manet,
Quæ modò paterni nobilis regni comes,
Decusq; mundi, syderum fulsit modo,
Haud primo in ævo viridis, at fracto occidit,
Et funeri confertur, ô fatum graue:
Nunc at quietem carpit æternam poli,
Frequensq; turba regium cingit latus.

P. Lauson Iohannensis.

Semper eadem.

Hæc duo verba legens fugitivo de grege porcus
Risit, & hos rabido protulit ore sonos,
An, Regina, putes mortalem non tibi sortem
Competere? æternam téne, superba, putes?
Adveniet tempus quod non procul auguror esse,
Quando vix *eadem* tu reputeris, ait.
Non tua maiestas, generis non splendor aviti
Vindicet exitio, cum venit ille dies.
Non te relligio, pietas non ficta iuvabit,
Victima Plutonis nil miserantis eris.
Tum de te summos celebrabit Papa triumphos,
Quæ nunc immotam te fore semper ais.
Perfide quid blateras blasphemâ talia voce?
Cur mentis saniem, cur maledicta vomis?
Hæc eadem est semper, non mutat lubrica sortem
Fortunæ varias non subit illa vices.
Nam regina fuit, semper regina futura:
Virgo fuit, dabitur Virginitate frui.
Diva fuit terris, eadem præfulget in astris
Luciferi offuscat regia stella iubar.
Viva fuit quondam nec adhuc est mortua Virgo
Vivit in arce poli, vivit in ore virûm;
Vivit adhuc terris dum Rex Iacobus Elisæ
Effigiem vivam par pietate refert.
Hoc tantum intersit quod iam cœlestia sceptra
Possidet, at tenuit sceptra caduca prius.
Angliacos cætus quæ prudens rexerat olim
Angelicos cœlo iam tenet illa choros.

Georg. Browne Coll. Magd.

Elizabetha Prosopopœia.

G*Loria, forma, Caro*, minuunt *Insignia* mentis;
Illa dabunt pœnas, *his* manet alta quies.

Tota

Tota *caro* fœnum, flos *Gloria*, *forma* favilla;
Evolat hæc, perit hic, hoc capit vrna brevis.
Hæc ego delevi tristis tria stigmata mortis
Rectâ, ægro, vigili, mente, labore, metu.
Corporis illecebras devotâ mente recidi;
Vnde meis populis avocat arma Deus.
Nec levis aurati tumefecit *Gloria* sceptri:
Gloria sed tumidam non peritura facit.
Nec nocuit mea *forma* mihi, quam graminis instar
Vna dies misit, sustulit vna dies.
Hæc mea *forma* fuit, summi sapientia Regis:
Hanc mihi donavit Christus, imago patris.
Hâc Veneris speciem, Iunonis sceptra subegi,
Palladis ingenium, Penelopesq; iugum.
Hac domui Papæ Bullas, & bella Philippi;
Hac dominante Deâ Gallus & Anglus ovant.
Camber, & indomitus coluerunt Numen Iërnus:
Nec tacuit laudes Belgica terra meas.
Interea, Britonum varijs agitata procellis,
Contremuere metu Roma, Guiana, Gades.
Sic Deus *Ancillam* donis ditavit opimis;
Sic pacem populis, hostibus arma dedit.

Rich. Nanney Coll. Iesu Socius.

SIc fuit in fatis! vt enim * miracula regnum
Concussêre Iovis, (Vulcano vota tenente)
Cum patris è capite exilijt, terrasq; petivit
Pallas, fœmineum gavisa assumere vultum:
(Aspirante deo) sic fas fuit aëra circum
Ignea * spectra vehi, diras minitantia clades,
Cûm mors Angliacam ad superos immitis Elizam
Mitteret: Illa suo venit mirabilis ortu,
Hæc vitæ occasu redijt mirabilis: alma
Quam pietas, quam casta fides, quam bellica Martis
Parma, verecundæ veneranda *Pharetra* Dianæ,
Virga caduciferi, constantis *cura* Camilli,

* Pausanias in Arcadicis.

* Cometa apparens in Monâ Insulâ ad obitû Reginæ.

Quam Radamanthææ *lances*, quam dona deorum
Singula, ſublimi Sanctorum ſede locârunt.

Evanus Vaughan Coll. Ieſu.

AH quàm falſus eram! quàm ſpe lactatus inani!
Donec Apollinei cultor & ipſe chori.
Durantes ſine fine dies, mens ſuaſit, amicis
Poſſe quidem Muſas, & dare velle ſuis.
Poſſe tamen vel velle deeſt: aut forſan vtrumq;:
Hinc deplorandam ſenſit Eliſa necem.
Senſit Eliſa necem, quæ cunctis grata Camœnis,
Phœbo grata, tibi grata, Thalia, fuit.
Ite igitur vanæ, quondam mea cura, camœnę,
Ite, magis cordi eſt altera cura mihi.
Ite: redite tamen: celebratur funus Eliſæ:
Hic opus auxilio, turba novena, tuo.
At nolunt; quibus ergo modis tibi carmina pangā,
Carmina, quæ factis ſint, dea, digna tuis?
Parva petunt manes: pietas pro divite grata eſt:
Hinc ſatis eſt, carmen me tibi velle dare.

Vitâ te populum, Regina, beaſſe Britannum,
Qui negat huic oculos iure fuiſſe negem:
Quin etiam populum te morte beaſſe Britannum,
Qui negat huic oculos iure fuiſſe negem.
Sic vitâ, ſic morte beas. Quis crederet vnquam?
Solus in his ſocius ſit tibi, diva, Deus.

Hattillus Woode ex Aulâ Edmund.

EXue Sidonio bis tinctas murice veſtes;
Purpureus luctum non decet ille color.
Linque triumphales lauros: animoq; labanti
Reijce de nitidis ſpicea ſerta comis.
Iam te flere decet miſerabilis Anglia, pannis
Iam te ſunereis cingere tempus adeſt,

Sola piæ tulerat quæ nobis gaudia vitæ
Nunc(infœlicis causa doloris)abest.
Ah iacet Anglorum spes, Phœnix, gloria;morte
Crudeli *Phœnix Elisabetha* iacet.
Barbaricos Turcæ, solâ hâc regnante,furores;
Et tumidi Papæ verba minasq; feras,
Et fremitum Hispani non horruit Anglia, Eliza
Princeps dum nostris imperitavit agris.
Tuta fides illi : pietasq; intacta manebat,
Sanctus & illæsæ virginitatis amor.
Heu! mihi in æternum nigro signanda lapillo
Atra dies,tantum quæ tegere aula iubar.

Dan. Iames Mert.

FVnus Elisa,tuum, mœstamq; ex ordine pompā,
Vix possum siccâ commeminisse genâ.
Ante meos oculos procerum longissimus ordo,
Armaq;, & atrati flere videntur equi.
Ipsa *Coronata* recubans apparet imago,
Cui vivum invideat Pigmalionis opus.
Illam qui siccis invectam vidit ocellis,
Aut malus,aut certe ferreus ille fuit.

Samuel Turner Coll. Corp. Christi.

O miseros Anglos,mundi quibus vnica Phœnix
Vltima fit nostro, (tristia fata)solo.
Fœlices Arabes,mundi quibus vnica Phœnix, Heming. gen. Ang.
Phœnicem reparat,depereundo novam.

Antiθ.

NEc magis est fœlix,fœlix licet ipsa vocetur
Terra Arabū,Phœnice suâ,quā terra Britānûm.
Phœnicem tulit illa suam? Tulit ista suumq;
Ex cinere alterius. Nobis non vnica Phœnix,
Illa nec Anglıgenis,numerabitur vltima Phœnix.
Ergò erras,vates,tua te sententia fallit.

Iac. Westover. Ænean. gen.

FLeviſſe exanimem ſerenam Elizam
Ardebam,pedibus modiſq; vinctis:
At Muſæ renuunt ter invocatæ,
Et tardè numeri fluunt; ſtupeſco;
Quæ ſit cauſa rogo: reperta tandem eſt;
Quod tantus dolor,& querela tanta
Non novit numeroſve limiteſve.

August. Steward Gen. Coll. Orial.

QVod de Cæſare erat celebre dictum,
Aut non debuit ortum habere Cæſar,
Aut non debuit interire Cæſar:
Dicam verius hoc de ſacra Eliza,
Aut non debuit ortum habere Eliza,
Aut non debuit interire Eliza:
Tantus ex obitu dolor renatus.

Rich. Care Gen. Coll. Orialenſis.

OCcidit(heu)regni decus immortale Britanni;
Occidit occiduæ gloria vera plagæ:
Cui neq; priſca parem proavorum viderat ætas
Aurea,nec ſimilem ſæcula noſtra dabunt.
Illa Britannorum ſacro de ſanguine regum
Orta fuit *gemina* magna propago *Roſa*:
Patre ſata invicto, cui victa Bolonia ceſſit,
Quæq; patet nudo nunc Teravanna ſolo.
Quam dum maternâ teneram formaret in aluo
Natura,& lætum lætior vrget opus,
Pectoris anguſtos Charites ſubiere receſſus,
Virgineis ſedes illa Deâbus erat.
Naſcentem excepit Pallas, doctæq; Camænæ
Infantem caſto ſuſtinuere ſinu.
Nec mora, Relligio ſacris amplexa lacertis,
Et veneranda fides vbera prima dedit;

Hinc secura quies sanctam comitata Coronam
    Tam pia cœlesti sceptra beavit ope.
Nulla tuo litui vox est audita popello,
    Nec raucas matres pertimuere tubas.

Clemens Wescomb Nov. Coll. Socius.

INfandum, Regina, iubes memorare dolorem,
    Mæstaq; funereis iungere verba modis:
Et vellem, & nequeo: neq; enim Te carmina promi
    Vlla è tam tristi pectore digna queunt.
Quod tamen officij est: lacrymas in funere fundo,
    Cumq; pijs lacrymis accipe & hos elegos.
SI forsan vestras, Hospes, pervenit ad aures,
    Quæ fuerit regni gloria virginei:
(Sive habitas Scythicas hyemes, aut littora Chinæ,
    Seu colis auriferi rura opulenta Tagi;
Seu Lybiæ deserta feræ, Nilivè paludes,
    Aut nova quæ occiduo littora Sole calent:
Seu propiùs, Latium, sive illas, proximus, oras,
    Quas tam vicinis alluit Ister aquis:)
Aspice communes Reginæ in funere planctus,
    Et lacrymas lacrymis accomitare tuis.
Aspice pullatos Proceres, Plebisq; catervas,
    Aspice quos gemitus Anglia tota dedit.
Et postquam ad patrias tutus remeaveris oras;
    Gens tua non siccis audiat ista genis.
Occidit, heu! tandem maturâ morte perempta,
    Occidit Arctoi gloria Virgo poli.
Et si, quæ fuerit, forsan rogitaverit vllus,
    Hæc à me brevitèr, quæ referantur, habe.
Cùm ter quingentos hic Sol evolverat annos,
    Et prope ter denis quatuor addiderat,
Ex quo Iustitiæ Sol Mundo affulsit ab alto
    Christus, & in terras vênit imago Dei:
Henrici octavi sacro de semine nata
    Nobilis hęc Princes *Elisabetha* fuit.

Nascen-

Nascenti Charites, diæq; Heliconis alumnæ,
Cumq; suis aderat casta Diana choris.
Non nostri ingenij est dotes numerare stupendas,
Quas dederat largâ Cælica turba manu:
Nil iuvat accensâ Solem monstrare lucernâ;
Exoriente latent Astra minora die.
Hic Nasone opus est, vel qui Troiana canebat
Prælia, & Hectoreum funus in Iliade.
Tanta inerat virtus animo, sapientia tanta,
Insita erat menti tanta pudicitia;
Vt non ornatam Divarum munere credas,
Sed mentem Divas incoluisse putes.
Privatos sileo quos hic transegerit annos,
Chara Homini, summo fœmina chara Deo:
Nec referam quibus illa malis post funera fratris
Egerit infestos irrequieta dies,
Sanguinei quoties *vt Ovem* de fauce Leonis
Eripuit magni dextera sola Dei!
Nam vitæ expletis viginti & quatuor annis,
Maturâ occubuit morte, inimica *Soror*;
Insperata pijs sic tu solatia mittis,
Protegis & Sanctos, summe *Iehova*, tuos.
Tunc etenim ascendens solium *Elisabetha* paternū,
Virgineâ accepit regia sceptra manu.
Quid memorem hic populi plausus, procerumq; triumphos,
Et missa ex imo pectore vota Deo;
Vt quam reddiderat per tanta pericula salvam,
Illi regnandi tempora fausta daret?
Annuerat votis summi moderator Olympi,
Et facilis, Sancti quod petiere, dedit.
Nam valido sacram cinxit munimine Servam,
Et sæpe hostiles reppulit ipse manus.
Insano quoties Paparum erepta furori
Effugit positos non-laqueata dolos!
Non illam audaces gladij, non mille venena,
Impia non poterat perdere *Bulla Pij*.
Intentata ipsi quoties cum fœnore damna
Publica in hostilem rettulit illa sinum!

Belgia

Belgica testatur, testatur & ipse cruore
  Hispano toties spumeus Oceanus.
Nec mirum, aut Papam sic illam odisse, vel ipsum
  Quæ semper coluit, sic redamasse Deum.
Nam simul & Papam regno expulit, atq; Iehovam
  Præcepit purâ relligione coli.
Tunc & Missificis nostro procul orbe fugatis,
  Desierat regni fœda superstitio:
Sacratisq; Deo templis Idola cremantur,
  Vni offert populus vota precesq; Deo.
Quæ sceleratorum fuerat spelunca latronum,
  Reddita erat Christo sponsa pudica suo.
Quæq; fuit subito lapsura Academia casu,
  Splendores veteres obtinet eius ope.
Nota quid hîc referam tranquillæ tempora pacis?
  Tuti Virgineo viximus imperio.
Hei mihi quod cogor sic dicere, *Viximus olim*;
  Quodq; ita non semper vivere posse datum est.
Verum hoc ille negat, qui bis septena volebat
  Lustra, brevem humani temporis esse modum:
Quæ postquam attigerat feliciter Elisabetha;
  Avolat ad Superas nobilis vmbra domos.
Ergo tua æterno clauduntur lumina somno?
  Mors potuit vitæ rumpere fila tuæ?
Cui similem totus, qui nunc est, non habet orbis,
  Nulla tulere parem sæcula, nulla ferent.
Profuit ergo tibi nihil edidicisse tot artes;
  Pectoraq; ingenuis excoluisse modis?
Et quæ nascenti dederant tibi munera Diuę,
  Hæc Parcæ poterant eripuisse tibi?
Non tibi, sed Terræ: nam tu, Regina, beata
  Fulges Angelicis annumerata choris.
Hoc igitur tenui signetur carmine Saxum,
  Quod memini in votis sæpe fuisse tuis.

Lustra novem regnis in pace potita Britannis,
  Hic iacet ætatis gloria Virgo suæ.

Thom. Hicbcock Nov. Coll. Socius.

ERgo Sibyllinam frustrà tibi sæpe senectam,
  Nostraq; Nestoreos vota dedere dies.
Deseris, heu, populumq; tuum, miserosq; fideles,
  Quos pietas patrio iussit abesse solo.
Nec te nostra salus, nec scepteri maxima tangit
  Cura tui, æthereos quin petis alta polos.
At nobis lacrymas linquis, miserasq; querelas;
  Mœstaq; continuis ora rigantur aquis.
Indignas laniata genas, discissa capillos
  Anglia tota tuo funere læsa dolet.
Nam quæ terra tibi lacrymas ingrata negaret
  Ingenij felix munere facta tui?
Tu duros placidâ fovisti pace colonos,
  Vt per læta ferax surgeret arva Ceres.
Per te marmoreo nova pax est reddita ponto,
  Vt revehant madidi carbasa tuta Noti.
Indomitæ populus tua fræna recepit Iernæ,
  Vltonis & nostro subditur ora iugo.
Quæq; polo visæ classes pelagoq; minari,
  Propter te cæcis obruit vnda vadis.
Per te, nè Christi sacrum prædetur ovile,
  Exulat Ausonio subdita turba Lupo.

Iustitiæ sincerus amor, clementia, virtus,
  Canaq; cum sanctâ relligione fides:
Quæq; patet dubijs solertia provida rebus;
  Totaq; sollicito libera vita metu:
Cura tui populi, firmæ constantia mentis;
  Maiori sunt hæc cuncta canenda sono.
Virtutes mirata tuas, Regina, tuisq;
  Impar muneribus nostra Thalia tacet.

Daniel Gardiner Nov. Coll. Socius.

QVot miranda prius, tot nunc ploranda supersunt,
  Planctibus vt iam sint plausibus apta prius.

Tot bona (Elisa) tuo, sunt contumulata sepulchro,
Quot fuerant vitæ concumulata tuæ.
Quæ laudare satis ceu nullus idoneus esset,
Sic lugere satis, non satis vllus erit.
Des oculis Helecona meis, fontemq; perennem,
In lachrymas Helecon non satis omnis erit.
Instilles Helecona animo, venamq; fluentem,
In questus Helecon non satis omnis erit.
Sed iuvat vsq; queri, iuvat indulgere dolori,
Musa sit in questus ingeniosa meos.
Ergo iaces? (nequeo per luctus edere nomen
Dulce aliquando tuis) Elisabetha iaces?
Heu dolet, & nimio rumpuntur corda dolore,
At dolet vsq; tamen non doluisse satis.
O mihi linguarum totidem si suppetat vsus,
Vna quot egregie calluit illa loqui:
Audiret Gallus, Græcus, Germanus, Iberus,
Per proprium questus quisq; idioma meos.
Occidit Anglorum columen, decus occidit ingens,
Occidit, vt nil non occidat, ipsa salus.

Tho. Tesdale Nov. Coll. Socius.

Prosopopœia ad Parcas.

Quid mihi vobiscum est crudelia numina Parcę,
Ad placidas geritis quæ fera corda preces?
Quamvis fatorum penes est vos summa potestas,
Et vestro arbitrio fœmina virq; cadunt:
Virgineo saltem potuistis parcere fuso,
Lentaq; per longas ducere fila moras:
Quid pia, quid tantum princeps commisit Elisa,
Tam citò Lethæis vt premeretur aquis?
Si neq; præcellens probitas, neq; gloria regni,
Nec potuit mentes flectere cana Fides,
At proprij saltem tetigisset gratia sexus,
Cuius erat magnum maxima Elisa decus.

Hanc poterat matrem vocitare annosa vetustas,
  Virgine Cumanos aspiciente Dies.
Terrestrē hanc poterant Divam memorare Nepotes,
  Reginâ æthereos suspiciente polos.
Funus at est fœnus; nam solvens debita terræ,
  Lucrata est superos inter Elisa locum.

Nath. Tomkins è Coll. Magd.

CVncta Cupido suo superaverat improbus arcu
  Magna triumphantem vicit Eliza Deum:
Mors tamen invictam vindex devicit *Elizam*,
  De *Morte* at niveis *Fama* triumphat equis;
Nec *Famam* superat, superet licèt omnia *Tempus*:
  Vltima lux, *Famæ* & *Temporis* vna manet.

Ioh. Marson ex Æde Christi.

SI candor, si maiestas, si fama perire,
  Si possit pietas, si decus omne mori:
En candor, pietas, maiestas, fama, decusq;
  Se tumulo condunt *Elisabetha* tuo.
Tecum vixerunt, tecum moritura videntur.
  Absit, at ô absit; quis putet ista mori?
Quæ vitam tribuunt post mortem, quæq; bonorum
  Splendida in æternum facta manere iubent.
Tu permitte Iacobe (precor) permittite Scoti,
  Vt flens paulisper gaudia vestra canam;
Vestra immo non sunt, potius sunt gaudia nostra,
  Ergo nostra etiam gaudia flere iuvat:
Nam nec is accepto gaudebit principe tanto
  Qui tanta amissa principe non doluit.

Theoph. Tuer Iohannensis.

SIc est, sic statuit magni Moderator Olympi,
Nil prosunt gemitus, Elisabetha perit:
Elisabetha perit, patuli lux aurea mundi;
Heu, quod non liceat, sim comes ipse tibi.
Quod cum non liceat, lachrymas, tristissima dona
Affero, (sed mœstis debita funeribus)
Funeribusq; tuis, nostroq; Eliza dolori;
Nam mea testatur pectora fida dolor.
Fœlix Elysia spatiatur Eliza sub vmbra;
Sic statuo lachrymis, tristitiæq; modum.

Richardus Williams Ioannensis.

SI, quia sit solus, soleamus dicere *Solem*,
Vivam te *Solem* (mortua Elisa) vocem.
Vixti sola, soli dominatrix sola Britanni:
Vixti sola, viro libera, nupta Deo.
Vel si, luce suâ quia cætera sydera vincit,
Accipiat nomen Phœbus Apollo suum,
In cœlis *Phœbe*, tellure *Diana*, Charonti
Persephone, triplici nomine numen eris.

Raulens Bussey Ænea-nas. Gen.

IVno, Diana, Venus, tria cœlica numina morti
Cesserunt, quando cœpit Eliza mori.
Quòd si mireris, quî fit, Dea quòd perit, & quòd
Numina trina vno numine victa cadunt?
Non periere Deæ, sed natam stemmate divo,
Numinibus parcens, Atrapos atra premit.

Tho. Antrobus Ænea-nas. Gen.

FLete Pij; pietas nunc semisepulta videtur;
Dum pia virgo pios cœli comitatur alumnos.
Flete boni; bonitas succurrere desinit Anglis,
Quæq; manus miseris patuit, modò mortua cessat.
Docti flete, simul tristes vlulate Camenæ,
Calliopen triplices nostram rapuêre sorores.
O sævæ Parcæ, quæ nullis parcere nostis;
Anne triplex triplices datis vno vulnere vulnus?

Creta Panomphæo faciebat busta Tonanti:
Sit licet æternus, sit licet ille Deus.
Anglia Reginæ tumulum componit Elisæ:
Sit licet in superâ viva, beata, domo.

Non tibi, sed regno vixisse videris, Elisa:
Nec tibi, nec regno, sed cecidisse Deo.

Guiliel. Douche Coll. Trinitatis.

In obitum Reginæ Elisabethæ.

VNâ te linguâ Natura ornavit Eliza,
Ars tibi multiplices ingeniosa dedit.
Anglâ etenim, Hispanâ, Gallâ, Græcâ, atq; Latinâ,
Italicâq;, animi sensa referre soles.
Sed tibi mors linguas crudelis præscidit omnes,
Et modò (proh lachrymæ) mortua, muta iaces.
Quid flemus? linguis nec tu defuncta carebis,
Cunctorum linguæ te pia virgo canent.

In *linguis* hominum post mortem viuis Eliza,
Semper & Anglorum *cordibus* ima sedes.
Taléśne exequiæ tibi persolvuntur *inanes*?
Sic tua sunt *vanis* funera ducta modis?
Haud equidem: Melius nullũ quàm *lingua* feretrũ,
Quæ vitæ laudes mortis honore *ferat*,
Marmore nec meliùs, vel *eburnâ* sede reposta,
Quàm fixa in nostris *cordibus*, esse potes.
Ergò tuæ sic exequiæ celebrantur Eliza:
Ora feretra tibi, *corda* sepulchra tibi.

Franciscus Iames ex Æde Christi.

MItia pauperibus, sceptris crudelia fata,
Infima prætereunt, & summa papauera carpunt.

Qui

Quæ ratio? reliquis dominantur fata, sed ipsis
Imperat Invidia alta petens. Hinc invida fata.
Invida, quæ rapiunt maiora, minuta remittunt,
Invida, quæ Reges tollunt, parcuntq; colonis.

LEgatos ad te *Reges* misere, *Iehova*
Legatum pro te misit Eliza *necem*.

Guilhel. Coton ex Æde Christi.

ERgóne cœlitibus laqueum struis? optima carpis
Maximaq; immiti mors truculenta manu?
Quæ piceum virus, Romana quod expuit Hydra,
Finibus è patrijs expulit, illa perit?
Quæ genitrix pacis fuit (ah lachrymabile verbum)
Quâ Iebusæa cohors corruit, illa ruit?
Heu pretij tanti est rigidum perdiscere fati
Ius, pretio disci quod leviore potest?
Cesso queri: frustrà cupio pius esse querendo:
Perpetuum terris liquit Eliza vale.

Ioseph. Colmore Ædis Christi.

PApa, quid horrescis? moritur cœlestis Eliza;
Iamq; tui cernunt, quem voluere, diem.
Nunc, superinductas nigrâ fuligine Bullas
Purga, finge cruces, & simulachra Deûm.
In medium profer venialia crimina, profer
Si quas relliquias relligionis habes.
Quippe eadem non est Regina, ô Papa; sed audi;
Mens eadem Angligenis, quæ fuit antè, manet.
Quid? sic, Papa putas, nostram nos linquere Divam,
Vt pereat tantæ tam citò tantus amor?
Maxima maiori modò cessit Eliza Iacobo,
Hicnè hæres regni, non pietatis erit?
Nunc ergo horrescas, modò cessit Eliza Iacobo:
Sic te *viva* premit, *mortua* Eliza necat.

Thom. Aylesbury ex Æde Christi.

Quòd

QVòd cecidit Virgo, cecidit quòd docta, Minerva
Laudis habes comitem nunc vtriusq; tuæ.
Quid, comitem dixi? quam si non dico priorem,
Blandiri videor Diva Minerva tibi.
Nam nullam in terris admisit Eliza sodalem,
In cœlo hanc sociam maxima Pallas habes.

Scribere si nemo cupiat, nisi qui decus addat
Elisabetha tibi, scribere nemo cupit.
Addere nil cupimus cui nil queat altius addi,
Si nil detrahimus, carmina nostra placent.

Dum te ploramus non digno carmine, duplex
Exoritur luctus, carminis, atq; tui.

Incepi Regina tuum decorare dolendum
Funus, at incipiens pergere, Musa stupet.
Materiæ sed nulla deest mihi copia, luctum
Sed tamen arguerent carmina plura levem.

Georg. Hamden ex Æde Christi.

TAlis erat Cæsar, qualis vel vivere nunquam
Debuit, aut nunquam debuit inde mori;
Talis Eliza fuit, nam nunquam vivere talis
Debuit, aut nunquam debuit inde mori.
Nec queat illa mori: nam non amisimus illam,
Sed tantum ad vitam misimus ante, novam.

Cur Astræa, Fides, Pierides, Charis,
Non Eliza tuo funere condolent?
Præstò est causa, tuo funere concidunt.

Ne sis terra gravis defunctæ nuper Elizæ,
Dum vixit, terris non fuit illa gravis.

Hen. Byam ex Æde Christi.

LAchrymas lachrymis miscere iuvat
Iuvat assiduos edere planctus:
Fletuq; graues implere sinus.
Nostrum aspiciant sidera luctum,
Et sol piceis evectus equis,
Lucem medio condat Olympo,
Lugeat atris nubibus æther;
(Æther nostro gravior gemitu.)
Mugiat altis fluctibus æquor:
(Æquor nostris lacrymis auctum.)
Resonet tellus, montesq; gemant;
Nam quod querimur cōmune malum est.
Vere tepenti, flores inter
Medios, mundi flosculus obijt.
Luce recenti, stellas inter
Medias, cœli decus occubuit.
Gemma, innumeris gratior opibus;
Gloria summis nota triumphis,
Princeps titulis cincta superbis,
Regnis pollens, virtute potens,
Sævo Lachesis concidit ictu.
Sed quid querimur mortale genus,
Tristia dominæ fata gementes?
Dulce ingentes flere ruinas,
Dulce dolenti est inter populos
Nullum siccas habuisse genas.
Principe vivâ vixisse fuit
Gratum; gratum moriente mori.

SI caput Herculei conscendas Phœbe Draconis,
Deliquium Astrologus lucis adesse docet.
Fallitur Astrologus: quæ lux nitidissima nuper
Fulsit in Auricomâ virgine, rapta perit.

Ergo quid ingemino solitas sine fine querelas,
Magna quòd Angligenæ gloria gentis obit?
Prætulit illa solo cœlum: atq; his arcibus arces
Sidereas, dempto nunc vbi fine sedet.

Angelus & facta est modò, quę modò pręfuit Anglis;
Et domina in domini gaudet Eliza sinu.
Et modò quæ facta est tantâ de principe nulla,
Fit cito cœlestis quæ cito nulla fuit.

Gulıel. Branche Nov. Coll. Socius.

QVod tibi persolvit pietas plebeía sepultæ,
Solvere, Pieridum non dubitavit amor;
Pars tua spectavit, passis per colla capillis
Funera, nec siccis *Elisabetha* genis.
Criminis immunes cecinit pars altera mores,
Et quàm grande pati fœmina posset, onus:
Altera, quadrato mansura in marmore, fixit
Fixaq; signavit talibus, æra, notis;
Candor, & ingenium, pietasq́, pudorq́, teguntur
Isto, quo Princeps Elisabetha, loco.
Hæc & plura tibi plebs Pieridesq; sepultæ:
Quæ plura ambabus, nec leviora dabas.

Tho. Watkines Nov. Coll. Socius.

Angelus atq; Anglus moriturâ Principe certant;
Ille animam, corpus vendicat iste tuum:
Neuter habet totam; cœlo divisa soloq; es;
Quanta, implens orbes Elisabetha duos?

Pacis Elisa parens, & pacis filia Musa est,
Ergo avia est Musis Elisabetha novem.
Pace igitur iam viva suâ, Musisq; superstes,
Num morituri numquid novit Elisa mori?

Quam non æternam potuit tua vita dedisse,
Mors tua te æternam fecit Elisa deam.

Virgo viros domuit, Reges Regina subegit,
Hinc reor in cælis vnde triumphet, habet.

Clemen-

Clementes soliti qui Papas dicere, ludunt,
Sed vere *clemens* Elisabetha fuit.

Quæris vbi princeps tumuletur Elisa; sed antè
Pectoribus populi conditur illa sui.

Richardus Boorne Nov. Coll. Socius.

SIve loquax mea sit, seu muta, in funere, Musa,
Elisabetha, tuo: debet vtrumq; tibi.
Si tua facta canat, tu sola es carminis auctor;
Nam per te didicit nostra Thalia loqui:
Si sileat, moriens tu causa es sola silendi;
Illa loqui, nimio pressa dolore, nequit.
Officio duplici cum sic teneatur vtrinq;,
Reddit vtrumq; tibi: Nam silet, & loquitur.

Marmora cum lachrymas Reginę in funere sudent:
Lumina Musarum, flumina quanta dabunt!

Non soli proceres Regni, pullataq; turba,
Quiq; nigrâ celebrant funera veste, dolent:
Hàc, aliquos, sine veste tuam, Regina, dolere
Mortem, Musarum carmina mœsta docent.

Viventem Augustum cum tot cecinere poetæ,
Cur dedit ardenti carmina nemo rogo?
Funera cur multi celebrant morientis Elisæ,
Qui modò viventi carmina nulla dabant?
Scilicet Augusto, cecidere, cadente, Camænæ:
Quas vetuit nuper mitis Elisa mori.

Quam malè mortales ignoti gloria regni
Ludit! quam malè nos decipit vmbra boni?
Credideram nuper cum sceptra teneret, Elisæ
Corda fuisse metu libera, colla iugo,
Cum tamen, hæc inter regni moderamina, serva
Legibus & populo Regia virgo foret.

Sed lacrymas gemitusq; dedi, cum stamine rupto
Principis audirem tristia fata meæ;
Illa tamen, quę serva prius, iam in morte triumphās,
Ivit ad æterni, libera, regna patris,
Principis vnde monet post vltima fata beatę,
Vt minuant lacrymas, gaudia vera, pias.

Ioan. Estmondus Nov. Coll. Socius.

NAscenti, Regina, tibi Lucina favebat;
Quæ daret ingenij dona, Minerva fuit:
Corpus, vt excrevit, voluit Venus esse venustum
Fortunis forma conveniente tuis:
Et Fortuna etiam studuit non cæca videri,
Dum tulit in summas non nisi summa manus.
Mars animos, varij cultum sermonis Apollo
Tradidit, & dotes Numina quæq; suas.
Sic vtinam his donis posses Pandora vocari,
Vt, pro parte sua, nil Libitina daret.

Miraris tanta saturari pace Britannos
Per totidem fragili sub muliere dies?
Mireris potius mulierem posse putari,
Cui præter corpus nil muliebre fuit.

Qui fuerat morbus Reginæ immissus ab alto
Nobilis vt posset nuncius esse necis,
Callidus obstruxit guttur, linguamq; ligavit,
Ne cuperet summum flectere lingua Deum.

Dum cecidere alij, lacrymæ cecidere: nec vnquam
Bis, semel abreptus, flebilis esse solet.
At quoties quotiesq; vnam meditamur Elisam,
Efficit vt toties visa sit illa mori.

O quæ tam sacræ resecabas stamina vitæ,
Siue dea es, veri sive ministra dei;

Anglica

Anglica te potuit Reginæ lingua movere,
Ausoniâ potuit lingua movere prece,
Te potuit verâ Gallorum voce rogare,
Nec non Cecropijs sollicitare sonis:
Quin, sermone tuo si forte imiteris Iberos,
Hac didicit quamvis hostis ab hoste loqui.
Sed tu, Parca, omnes superabas, barbara, Gentes,
Nam tibi, quo loqueris, nil nisi culter erat.

Ex quo legitimum sumpserunt brachia sceptrum,
Estq; adeo puras nacta Corona comas,
Cura fuit semper divini gloria cultus,
In terris cœlum condere cura fuit:
Dic mihi, num cœlos, vbi sunt non invenit illa,
Quæ voluit cœlos ædificare solo?

Io. Hoskins Nov. Coll. Socius.

SI quis honorifico regni moderamine fœlix,
Fœlix Astræâ iudice Elisa fuit.
Namq; nec in toto quisquam pacatiùs orbe,
Nec magis ex verâ relligione regit.

Quòd *fuerit*, proavis Academia debet honorem,
Quod bene sit, totum munus Elisa tuum est.
Nempe inopes tristesq; tuâ pietate Camænę
Proventum, meliùs quo foveantur, habent.
Tu dea, tu nostris numerabere Pallas Athenis,
Nec sine te, quisquam numinis instar erit.

Tho. Howell Nov. Coll. Socius.

VEni Cupresse flebilis,
Et mœsta cinge tempora,
Venite iuges lachrymæ,
Mœstosq; ocellos mergite.

Veni Dolor. Dolor Veni.
Eliza, gemma principum,
Flos fœminarum, virginum
Diana, lumen Angliæ,
Musarum ocellus occidit.
Eliza nobilium decus
Quot sunt vbiq; stemmatum,
Columna pacis optima,
Mater pietatis occidit.
Eliza vita patriæ,
Et iuris anima mortui,
Honoris Hæres-filia,
Virtutis altrix, occidit.
Eliza mitis subditis
Aglaia, Bellona hostibus,
Fœcunda Copiæ parens,
Parensq; lætitiæ occidit.
Ergo Cupresse flebilis
Ter mœsta cinge tempora,
Et vos perennes lachrymę
Mœstos ocellos mergite.
Veni Dolor. Dolor Veni.

SVblatam in coelos vulgus miratur Elizam,
Res tamen Astronomis non ita visa nova est:
Nam quà Iustitiæ Libra, & Leo fortis Elizæ est,
Dicitur antiquus Virginis esse locus.

Quis Venerē, Cereremq; simul, doctāq; Minervā,
Astræam, Charites, iuridicamq; Themin,
Iunonem, & Musas, atq; omnes deniq; Divas,
Tantillâ condi posse putarit humo?
Hic tamen, heu specta, sed flente viator ocello,
Hic nuper-princeps Elisabetha iacet.

Qui tot Parreios, tot deprendêre Lopezos,
Cum vitam peterent Elisabetha tuam:
Proditor hos vnus, mors vna fefellerit omnes?
Hei mihi, quot fraudes, quos habet illa dolos?

Polli-

Pollicita es(princeps) temet fore *semper eandem*:
Sed memorem dicti mors vetat esse tui:
Nunc etenim, nuper quæ regna Britanna tenebas,
Non eadem, at *melior*, cœlica regna tenes.

Hen. Shellaius Nov. Coll. Socius.

ILla avis, à superis olim dimissa Britannis,
Quæ Britonũ custodit agros, terrasq; propinquas
Sub niveis alis protexit, territa terræ
Sanguineâ rabie, superas ascendit ad auras.
Possidet inde polum, fulgentia tecta Pyropis
Illi stellifero posuit Vulcanus Olympo,
Non procul à summi tecto solioq; Tonantis
Illa habitat, regno æterno, sceptroq; potita.

Gabriel Richardson Æneïn.

VNdè dolor, lachrymæ, gemitus, suspiria, luctus;
Vndè *modis* modus est nullus, Elisa, rogas?
Scilicet ablatam non te deflemus, Elisa,
Deflemus nostrum, te moriente, malum.
Tu murus, tu sola salus, tu vita tuorum,
Anchora tu patriæ, tuq; columna, tuæ.
Dùm fueras, fuimus fœlices: dumq; cadebas
(Heu) cecidit nostrum (dij voluere) decus.
Hinc dolor, hinc lachrymæ, gemitus, suspiria, luctus;
Hinc modus est mœstis nullus, Elisa, modis.
Tu tamen intereà cœlesti sede locata
Magno divisum cum Iove numen habes.
Et iam clara novum micat inter sidera sidus
Nobile quod nactum est nomen, Elisa, tuum.
Hinc est, ablatam non te deflemus, Elisa,
Deflemus nostrum, te moriente, malum.

Andreas Corbet Coll. Reg. Gen.

ITe meæ lachrymæ, tanquam de nubibus imbres,
Sintq; pares gemitus, ignibus (Aetna) tuis.
Funeribus (Regina) tuis, hæc dona feruntur
Vltima, quæ pietas hinc rogat, indè dolor.

Ceres, defunctam Elisabetham queritur, pacis suæ nutricis parentem optimam.

MAter Eliza, meæ, dum vixerat alma, parentis,
Dives eram, placidæ Pacis alumna, Ceres.
Nunc Pacis, (miseras ni Iuppiter audiat æquus,)
Et mea quæ fuerant præmia, Martis erunt.

Tho. Harlow, ex Æde Christi.

ORbis amor Titus fuit, est amor orbis Eliza;
Orbis Titus erat, est & Eliza, decus:
Hoc in te Titoq; tamen discrimen, Eliza,
Hic fuit orbis amor, te Deus orbis amat.

Elisabetha, parens ac integra virgo fuisti,
Virgo tibi, patriæ dulcis & alma parens.

Quòd Regina, viri: quòd virgo, fœmina cedit:
Quod dea sis, sexus cedit vterq; tibi.

Ioan. Woodforde ex Æde Christi.

SEptember albam Cynthiæ faciem videt;
Luna alba serenat. (Diem serenat candida & sudum facit)
Nata est. Septemb. 7 *Eliza* nata est; *Cynthia* hæc terris micat,
Britanna tanto terra gavisa est bono.
Lunam *November* ecce rubicundam aspicit,
Rubicunda flat. (Quam multa tempestas sequi à tergo solet)
Regina adit tunc scansilem Regni thronum;
Inaugurata est 17 Nov. Quando tumultus, toxica, ac audax manus

Sic,

Sicariorum Principis petijt latus;
Sed tecta summo numine effugit nefas.
Vultum ecce *Martia* Luna pallentem induit, — Pallida luna pluit.
Secum trahentem nubila & nimbos graues:
Lux hæc *Elizæ* Principi exequias parat,
Quas imbre largo populus oculorum rigat. — Obiit 24. Mart.
September ortum, *Martius* obitum tulit,
Sceptro *November* inaugurat, ritu sacro.

Tobias Stoit Coll. Magd.

ILla *eadem semper* mutata est, sceptra resignat,
Deserit & populos Elisabetha suos.
Nutavit sceptrum, fortes tremuere *Leones*,
Et languent succo deficiente *Rosa*.
Hinc cadit vbertim lachrymarum defluus imber,
Te, Princeps, querulâ plebs tua voce gemit.
At quoniam tibi morte tuâ, vita altera parta est,
Lætatur plaudens Anglia tota tibi.
In cœlis tibi vita data est, tua fama perennis
In terris vivit, vivis vtrinq; Dea.

Ioh. Brickenden Coll. Magd.

LVx ea quæ divæ festum natale Mariæ — Nata est in vigil. Nativ. B. Mar.
Iuncta præit, fuit illa dies natalis Elizæ,
Quaq; salutatum venit Iove missus ad ipsam
Seraphico è numero celer, alatusq; minister,
Ista diem anticipans animam expiravit in auras: — Obiit in vigil. Annunciat.
Hoc ego vaticinor, sociam se velle Iosephi
Coniugis esse, parem proavis, divisq; secundam.

R. Lake Coll. Magd.

QVisquis ades, tumulum ne dedigneris Elizæ
Visere, quam coleres si modò viva foret.

OLim beatæ sceptra Britanniæ,
Eliza cepit non sine gloria:
Nunc quæ diu gessit, reliquit
Alterius manibus tenenda.
Huc ergo gentes ocyus exteræ,
Et vos *legati* munera principum
Quondam ferentes nostræ Elizæ,
Currite, iam celebrate funus.
Fallorne? votis annuitis meis,
Omnes adestis, Gallicus & Scotus,
Tristisq; Germanus sepulchrum
Compositis decoravit armis.
Miror, superbus quòd tua Pontifex,
Eliza, solus funera despicit,
Et dentibus frendens recusat
Italus exequijs adesse.
Vtriq; ovantes dissimulant metum,
Et nomen horrent, mortua sis licet;
Dirus quibus terror superstes
Atq; inimica gravis fuisti.

Guihelmus Barlow Aedis Christi.

FRustrà lætitiæ, ioci, cachinni,
Risus, gaudia, lusus & voluptas,
Frustrà delitiæ, Venus, Cupido,
Et Musæ, & Charites, meam venitis
Mentem visere luctibus solutam;
Occumbit decus & dolor Britannûm,
Hæc & condita cuncta sunt sepulchro
In quo condita diva tanta, talis,
Anglûm publica cura, fœminarum
Aeternum decus, & stupor virorum;
Musis addita quæ modò novenis,

Et quæ Gratia quarta Gratiarum;
Fatis Elisabeth iacet malignis.
Hæc sic vita perit: nimis fugaces
Anni sic abeunt, rapit severa
Sic mors omnia pulchra, rara, chara.
Ast ô cœlicolæ timete divæ;
Cum nunc Elisabeth sit aucta cœlo,
Si sub iudice vestra sit venustas,
Vobis eripiet Deabus aurum,
Formæ pomiferam ferens coronam.

Rob. Percy ex Aede Christi.

SI modo dent animo non impar fata sepulchrum,
Non capiet tumulum terra Britanna tuum:
Mentem dùm vixit, cœli Elisabetha capacem
Namq; habuit, sedem iamq; habet illa suam.

Mortua non moreris, Musis Regina superstes,
Nempè in te vetitum est omnia posse mori.
Ad tumulum spreto migrant Helicone Camænæ,
Prætulit hunc Delphis, Delphicus ipse suis.
Non iam tota tuis cadis Elisabetha Britannis,
Quam nunc desertam corpore, mente colunt.

Perrupit fatum mentis cum corpore nodum,
Hoc versum in cineres, illà dicata Deo.
Certa fuit moriens vitæ melioris Elisa,
Spem dedit hanc veræ relligionis amor.
Longùm conspicuo celeberrima stemmate vixit,
Mortua iam fato est nobilitata suo.

Tho. Hall Nov. Coll. Socius.

DVlci dum fuerit sanguine turgida
Carnem non facilis vorax remittit,

At venam vt vacuam sanguine senserit
Hirudo exanimem libens relinquit:
Qui Regina tui non memor extitit,
Talis vere habeatur; at gulosi
Omnes nos magis, & nos magis impij,
Qui sub præsidijs Eliza vestris
Fœlices fuimus; qui tulimus boni
Quicquid nos faciat beatiores;
Si nullas tibi gratias, nec vllos
Ritus funeribus solverimus tuis:
Tanta munera nec bene æstimamus.
An corpus simul ac vrna coerceat,
Chara Eliza tui relicta cura est?
At gratam potius quàm decet Angliam
Tecum vt vivere, sic obire tecum!
Fœlix perpetuò tecum erit Anglia.

Dum fugit ardentis Daphne connubia Phœbi,
Perpetuæ frondes Virginitatis habet.
Sic Regina potens tædas exosa iugales,
Perpetuæ laudes Virginitatis habet.
Frondes inter, aves concentibus æthera mulcent,
Musa inter laudes cantet Eliza tuas.

Cynthia cum lateat nigris obducta tenebris,
Vlterius vitæ nil Catoblepta tibi est.
Sic Regina tui, qui te suspeximus, Angli
Deficimus vita deficiente tua.
Quam gratum fuerat te viva vivere Eliza,
Tam foret acceptum te moriente mori.

Vir bone, quinq; tuis quod sis fœliciter vsus
Addita sunt primis plura talenta tuis.
Et bene quod Regina diu tua sceptra tulisti
Maxima pro minimis accipe regna tuis.

Apostrophe ad Regem.

ET bene tu primo quod regnes (Maxime) regno,
Altera sunt regnis addita regna tuis.
O cui succedis regno, succede regendo,
Tempore, virtute & relligione pari.
Deniq; gestatas per secula longa coronas
Exue, Rex, veteres: indue, Sancte, novas.

Thom. Sparke Nov. Coll. Socius.

Πάρθενος ἠλισάβητ θρῆσκείην, εἶπα, μῦσας,
Ἀστραίην, χάριτάς τ', εὐνομίην τε τίκεν.

Πρῶτ' ὑποτασσομένην γαῖαν μονὸν ἔιχε Βρετάννην,
Νῦν δ' ὑποτασσόμενον γ' εὐρέα κοσμὸν ἔχει.

Ἠλ-ισά-βητ θεοδῶρα θεοῦ δῶρόν τε, δόμος τε,
Εἰρήνη τε θεοῦ ἠλι-σάβηθα πίτην.

ELias petijt flammatis astra quadrigis,
Æthera pacificis scandit Elisa rotis.
Ille polum ascēdens terris sua pallia liquit;
Ista suum corpus liquit ad astra volans.
Ille dedit vati geminatum pneuma futuro;
Ista dedit regi pectus & arma novo.

Elisa nuper lecta cœlesti manu,
Cœlestis ergo flos erat:
Quin & coronā tempore autumni induit,
Quam vere deposuit novo.
Cœlestis ergo est terra nam flores parens
Vere auget, autumno rapit.

Qualis ob Hispanos dubio certamine victos
Iste triumphanti fertur Elisa rotâ;
Talis inaurato curru depicta triumphat
Mortua, quòdq; ipsâ morte triumphet, habet.
Ante feros virtus Essexia perdidit hostes,
At nunc ipsa feram vicit Elisa necem.

Quæ duo iuncta polo fulserunt sidera quondam,
Nunc disiuncta tuo funere Elisa micant.
In cœlis virgo est, In terris libra remansit,
Cœlo anima, at terrâ corpus Elisa tuum est.

Fœmina quæ sexu, leo pectore, corpore virgo,
Stirpe sua princeps, marte virago fuit;
Imperijs Iuno, formâ Venus, arte Minerva,
Morte sua Phœnix, funere diva, iacet.

Mortis fama tuæ iam totum exivit in orbem;
Quò meruit vitæ fama volâsse tuæ!

Ioan. Reinolds Nov. Coll. Socius.

QVid Mario *invicti* titulos Annæ dedisti?
Fortunâ fortem cur magis esse facis?
Est aliquid, Marium semel & non amplius, ævo,
Et potuisse capi, & non potuisse mori:
Sed verè *invicta* si componatur Elizæ
Sors Marij victrix, hoc aliquid nihil est.
Exul inops captusq; semel fugiebat ab hoste,
Sed non capta semel, non semel ista fugit.
Occidi semel ille nequit: sceleris; minister
Dicitur hostilem pertimuisse necem.
O quoties non fas collum contingere Elizæ,
Sanctam sacrilegâ nec violare manu?
Virus sæpe suas vires, & sæpe venena
Virtuti dedunt, cælica Eliza, tuæ.
Quodq; alias subigit virus, tua sola subegit
Cœlestis virtus, nescia sola mori.
Credibile est cœlumq;, deumq; deiq; ministros
Hoc super vnum omnes invigilasse caput.

Cumq; diu intactam servasset Numen Elizam
Hostibus & tutum proditione caput.
Tandem inquit mihi quam servavi tempore longo,
Pòst longo meritò tempore sumo mihi.

Quæ

Quæ *toti* Musa *vna* satis *tibi?* cuius in *vnâ*
Parte *omnis*, *semper*, sistere Musa potest.
Non *toti* satis *omnis* erit cum Pallade, cuius
Vnâ in parte *omnis* sistere Musa potest.

Robertus Fawne Nov. Coll.

De Eliza longo & felici imperio.

REgnarunt aliqui gentem feliciter Anglam,
Qui tamen imperium non tenuere diu;
Regnavere diu sed non feliciter isti;
At neutro felix Anglia rege fuit.
Sed regnare diu, simul & feliciter, vni
Contigit hoc tantùm munus, Eliza, tibi.

De maturâ Elizæ morte.

NOn immaturâ passus te morte perire
Est Deus, aut primo veris honore tui;
Nec tamen est passus nobis te semper adesse,
Quamvis felicem iussit adesse diu.
Sed cum debilitata gravi natura senectâ
Amplius haud posset munus obire suum,
Qui tibi viuenti concesserat ante beatam
Vitam, nunc mortem donat Eliza parem.

Peter Turner ex Æde Christi.

O dolor! ô facinus! tenebris regnante Mariâ
Anglica Cimmerijs gens adoperta fuit.
Elizabetha tamen cœlo delapsa supremo,
Æternum patriæ lumen habere dedit.
Et verè referens accensam lampada, sese
Absumens, alijs lux manifesta fuit.
Sic tandē extincta est lux hæc, dùm quod dedit ipsa
Omnibus, amisit, luminis orba iacet.

Ioan. Webb ex Æde Christi.

Hac

Hæc est illa tibi quæ terris vixit Eliza,
Vt tecum cœlis viveret, alme Deus.
Hanc tibi iure petas Deus, hanc sibi vendicet æther.
Hanc simul esse suam cœlica turba velit.
Tam colit illa deum, tam sydera spirat Eliza,
Tam mortale nihil, nec populare sapit.

Gulielmus Kempe ex Æde Christi.

In pietatem Elizæ.

SIci & de Latio, sic & de gente Philippi,
Quid fremuere viri?
Quòd non mendaci pietatis fallitur vmbrâ
Cultor Eliza Dei?
Præ pietate Papas, & Iberos spreuit Eliza,
Hic pietatis amor!
Hinc Itali discant, hinc & de gente Philippi,
Numen amare Dei.

Tho. Knyvet ex Æde Christi,

Victa licet fatis Superos invisis Eliza,
Mente tamen nostrâ vivas, & amore superstis:
Hoc dolet invidiæ, quòd mors tibi gloria tanta;
Livor vt invideat decus hoc tibi fata tulisse,
Quod nec fata queant abolere, nec vlla vetustas.

Ioan. Wrenforde Ædis Christi.

DEscende cœlo Melpomene, sciens
Tractare mœstas funere nænias,
Attolle clamorem, & sepulchri
Commemora meritos honores.
Audite primùm mœsta Britannici
Deflenda vobis nuntia, mortua est

Eliza Princeps, quâ tenente
Imperium, & diadema summum,
Pax fovit agros, almaq; faustitas;
Polluta nulla est casta domus stupris,
Nec facta cædes, lex verenda
Omne nefas domuit nefandum.
Audite, Phœbum qui colitis patrem,
Sacris amici fontibus, & choris,
Et veste pullata referte,
Qui crucient animos dolores.
Eliza vestros quæ coluit choros,
Fovitq; Musas, & simul auxerat
Immunitates, & statuta,
Mortua cepit iter supremum.
Audite, verè qui colitis Deum,
Implete obortis cum lacrymis genas:
Eliza, cuius terra vobis
Perfugium fuit, ac asylum
Quæ (vera Princeps) vndiq; publicam
Professionem Evangelij sacri
Promovit, amovit tenebras
Pontificum, nece iam perempta est.
Audite tandem Papicolæ impij
Ac invidentes ilia rumpite,
Eliza, vitavit nefandas
Insidiasq; manusq; vestras.
Vitamq; septem iam decies suam
Duxit per annos, sceptra Britannica
Per lustra gessit iam novena,
Invidiâ insidijsq; maior.
Terras reliquit, mox super igneas
Ascendit ædes, atq; ibi cum Deo
Ascripta supremis piorum
Ordinibus placidè quiescit.

Edw. Gunter ex Æde Christi.

QVid pietas? quid forma? fides? quid fama valebunt?
His cùm quæ Princeps claruit, orba iacet
Non tamen hanc nobis mors invida sustulit omnem,
Hinc penitus totam non *Libitina* tulit;
In cœlis anima est; in terris gloria mansit;
Corporis exuvias sculptile marmor habet.

Ioh. Pennington Magd.

SI Regina Deo summè dilecta, suisq;
Vivere si princeps debuit vlla diu:
Si pia, si constans, si relligiosa, benigna,
Laudârit cuius, gens inimica, fidem:
Tu certè, *Elisabetha*, diu victura fuisses,
Nomina sunt titulis, hæc nimis arcta tuis.

Tho. Massinger Magd.

SI (quod Flaccus ait) melius nil cœlibe vita;
Pulchra tibi sors hæc Elisabetha fuit.
Non tibi sunt lecti genialis fœdera, sponsus
Non tibi, non vteri pignora chara tui.
Da veniam tamen, & tu sponsa, & mater haberis;
Te sibi vult sponsam Christus habere suam:
Reginam & populos summa pietate colentes
Vt matrem, natos hos reor esse tuos.

Quid minimâ illustrem monstro *Scintillula* Lunam,
Quod facio titulos amplificando tuos.
Deterere haud decuit tenui tua magna Camænâ,
Augusta angustas non capit aula fores.
Ergò ego de Eliza (quod de Carthagine Crispus)
Cum satis haud possim dicere, dico nihil.

Gulielm. Sparke Magd.

Aut

Atribus es magnis ô tu Dea victa deabus,
Ipsa tamen ternas viceris antè Deas.
Exuperas Iunonis opes, & Palladis artes,
Et formâ cessit Cypria Diva tibi.
At quę cuncta domant, heu te necuere sorores,
His pudor est, laurus sed tibi maior erit.

Sam. German Magd.

FEssa ministerijs regni curisq; gravata,
Reddis supremo sceptra animamq; Deo.
Macte bonis avibus mortales desere fasces,
Cælica pro regnis accipe regna tuis.

Rob. Morbred Magd.

MArtius abstulerat, dederat September *Elisam*,
Ver rapit, Autumnus quam dedit antè Rosam.

Ioh. Hunte Magd.

QVò magis in patriam, fueras pia mater Eliza,
Hoc magis in luctus plebs tua tota fluit.
Pars loquitur, pars mæsta silet de plebe, dolorem
Exprimat in dubio est illa vel ista magis.

Humfredus Fen Magd.

FAta, caduca tibi tollendo, æterna dederunt;
Invida dic num sint, sint vel amica magis?
Fata tibi terras poterant Regina negare,
Non poterant cœlos præripuisse tibi.

Guiliel. Blagrone Magd.

SIccine Elisa iacet? crudelibus occubat vmbris?
Nullum Parca fugit Persephonéue caput?

Occidit; at pietas non interitura manebit
Invidet infesto posthuma fama rogo
Ingenium vires fortuna heroica forma
Illuxere simul, iam cecidere simul.
Disce mori ex illa, qui vivis, vivere disce
Et memor esto ævum sic properare tuum.

Georgius Bostock Ænea-nas. Gen.

LVna facit solis defectus, terra labores
Lunæ: neutra Angli *solis* eclipsis erit.
Luna laboravit, lux occidit orbis *Elisa*:
Vnde igitur nostri *solis* eclipsis erit?

Cynthia deseruit solium, tria regna reliquit:
His iunxit quartum, qui dedit illa, Deus.

Guliel. Herbertus Coll. Iesu. Gen.

AVdiat Oceanus gemitus quos Anglia fundit,
Ob mortem Divæ Principis, immò Deæ;
Audiat, auditis miserescat, iamq; misertus,
Mutua det riguis flumina larga genis.
Sic pius Oceanus, pia sic mihi flumina semper
Dicentur; populus sic pius Anglus erit.

Io. Laurence Coll. Ioannensis. Gen.

Ἐλισάβετ.
Κατ' ἀναγραμματισμὸν, λάβες ἔτι.

Ἄθλια οὐ γέγονεν πρότερον ληφθέντα τὰ δῶρα·
Αὐτὰρ σοὶ πλείω ληπτέα ἐστὶν ἔτι;
Οὕτω γὰρ πολλὰ ζῶσα, πλείω δὲ θανοῦσα
Καὶ ἜΤΙ σὺν Χριστῷ, ὦ βασίλισσα, ΛΑ΄ΒΕΣ.

Io. Drake ex Aulâ Edmundi.

Quid

QVid vel Roma *Pios*, vel *Innocentes*
Papas nuncupat? innocens vocetur
Et verè pia sola, fac, Eliza.

Tho. Wright ex Æde Christi.

MItte, quòd occiderit nuper Regina, dolere;
Regna quoq; occasus sunt habitura suos.

QVæ fuerat Samij sententia docta renati,
Ecce suam posthac est habitura fidem.
Quæ modo Elisa fuit, nonne est elisa Britannis?
Quamq; ea mentē habuit, nonne Iacobus habet?
Siste igitur lachrymas, semper tibi restat Elisa;
Semper restabit Rege manente tibi.

Ipsa libens moritur, moriens dat Sceptra Iacobo;
Quæ se deseruit, deseruitne suos?

Guliel. Kingesmillus Nov. Coll.

DEnt alij tumulo funebria thura, litentq;
Cum lacrymis pariter, balsama mixta, suis:
Augusta ô Princeps, victura ego carmina sacro
In tumulum, æternis carmina sculpta notis.
Nonne futura magis, quam balsama, carmina grata?
Vivere vis tumulo, non redolere tuo.

Inde Tui pietas divina (ô maxima Princeps)
Exornat famam post tua fata tuam:
Hinc pia Musa tibi, victuros spondet honores
Efficiens tumulo, te superesse, tuo:
Sic pietate tuâ & Musâ tibi posthuma vivis:
Efficit ista homini vivere, & illa Deo.

In veterum tumulos pia lilia sparsa fuerunt,
Est honor & tumulo debitus iste tuo,

Lilia vel Regni quòd erant insignia, bustum
Ergo insignirent, lilia sparsa, tuum.
Vel quia Regina hic vixisti casta, mereris
In tumulum spargi, lilia casta, tuum.

De ominatis Martij Mensis auspicijs.

FAllor? an horrendas strages Martisq; tumultus
Principis occasus, principis ortus, habet?
Evenit nobis ecce omen vtrumq; , nec vlla
Bella tamen nobis omen vtrumq; tulit.
Quodq; fuit nostro magis admirabile, sæclo,
Non *Mars* ipse istis casibus arma tulit.
Et tamen en nobis Princeps, *Gradive*, Calendis
Exoriturq; tuis, emoriturq; tuis.

Franciscus Capp Nov. Coll.

QVisquis es amissam qui ploras tristis Elizam,
Non poscit lacrymas nobilis vmbra tuas.
Illa beata manet regnis melioribus hæres
Incolit Elisias regia Eliza plagas.
Desine funereo pertundere pectora planctu:
Nec quod sit fœlix, tu miser esse velis.

Ter tres virgo tuam celebrarunt inclyta divę,
Tres divæ vitam corripuere tuam
At tibi restituent, quam tres rapuere sorores,
Vitam, concelebrant quæ tua facta, novem.
Quantum est æternam lucrari funere vitam?
Te fatum vetuit vivere, musa mori.

Sic quicunq; sua numerandi nititur arte
Possit virtutes vt numerare tuas
Hic terræ numeret frondes hic sidera cœli
Et guttam immensi quamlibet Oceani.
Si careant numero virtutes (maxima virgo)
Quis poterit laudes enumerare tuas?

Tam

Tam *multos* annos tam *Sanctos* (Regia Virgo)
Vixisti *annosa* & *religiosa* simul.
Vt si Pythagoræ vera est sententia, credam
Nestoris *esse animam*, quæ fuit ante, tuam.

Quòd fuit æterno nimium dilecta Tonanti
Ruperunt triplices stamina sacra Deæ.
Illa petit cœlos hæres generosa paternos
Et modo quæ vixit fœmina stella micat,
Sic Nonacrinam dum nollet Iuno puellam
Esse hominem, summo est à Ioue facta Dea.

Franciscus Souch Nov. Coll.

Atque en (quod semper veriti sumus) illa malorũ
Venit summa; imi gaudet regnator Averni.
Anglia gens mæret, sibi demptam quærit Elisam,
Mærentem cruciat, quærentem torquet Elisa.
Relligio, pietatis amor, virtusq;, fidesq;
Terga dare, & tenebris trepidos abscondere vultus.
Atqui en (quod nunquam meriti sumus) illa bonorũ
Summa venit: summi sic vult moderator Olympi.
Anglica gens gaudet, plaudit sibi vere Iacobum
Nasci, mærentum recreat qui corda suorum.
Nunc pietas, & relligio, virtusq;, fidesq;
Luce vigent; hilaresq; audent attollere vultus.

Walkedenus Woode Art. Mag. ex Aulâ Edmundi.

POmpa triumphalis, regum diadema coruscans,
Gloria magnatum, tempore cuncta ruunt.
Cuncta ruunt subito: quid ni? mortalia cuncta.
Sceptra tenens hodie, cras sepelitur humo.
En, filo tenui terrestris gloria pendet:
Optimus heroum, pulvis & vmbra fugax.
Sic cecidit patriæ custos, honor, atq; columna;
Fœminei generis, dia *Sabetha*, decus:

Per

Per quam relligio, pietas, pax aurea, per quam
Splenduit in terris intemerata fides.
Hinc timor & luctus, & acuti in corde dolores,
Clamantes pariter: *non toleranda dies.*
Nos tamen exhilarat, venientis fama Iacobi;
Quem ius, quem pietas, quem Deus ipse probat.
Anglis grata dies, Latio funesta Tyranno:
Gaudent Christicolæ, pseudopropheta fremit.
Turgent Hispani, dubitant Turciq; potentes:
Horrescunt Itali, chrestologiq; vafri.
Plaudite nostrates; hostes vincatq; precamur:
Quid multis? sat sit subdere, *vivat*; Amen.

Tho. Taylor Art. Mag. Coll. Nov. Capel.

IVppiter aspiciens, vultu luceret in vno
Mascula vis quantùm, gratia, candor, honos:
Misit Tartareas oratum, parcere parcas,
Perpetuus vitæ perstet vt iste tenor.
Parcere Parca negat fas vlli: Iuppiter vni
Quamvis immensas accumularat opes:
Hinc Deus iratus, dedit illi summa tenere
Inter cælicolas regia sceptra deas.

Absolon Gethin ex Aulâ Glocest. Art. Mag.

Ἔσ' εὐεργετικὸς θεὸς Ἀγγλοῖς, ὅστις ἔδωκε
Κλιμακτῆρα μέγαν τοῖς βασιλεῦσι τηλός.
Κλιμακτῆρ' ἡμῶν βασιλίσσῃ ζεὺς ἐπιβάλλει,
Οὐδεὶς τῶν γὰρ βροτῶν μακρότερον βιοῖ.
Ἦμαρ θαυμάζω λυκάβαντας μὲν πρατεύον,
Ὡραίῳ γε χρόνῳ παρθένος ἦδε θάνεν.

Quòd iacet Elisabeth, cùr duri miles Iberi
Temperet à lacrymis, cum fleat ipse Papa.

Thom. Pope Magd.

Orbis

ORbis amor quondam *Titus*, admiratio mundi,
Cùm tristi medijs, fato succumberet, annis,
Cur, ait, immeritus morior, cur vita negatur
Tam benè viventi, cur sic extinguor in ortu?
Nec similis, nec dissimilis, *Regina*, videris:
Est impar ætas, est dispar sexus vtriq;,
Fortior hic illi, tibi sed magis illa senilis.
O indigna mori Princeps; cur vita negatur
Tam benè viventi? tibi non crudelia vitam,
Sed te inviderunt nobis crudelia fata.
Inspicio mortem? non digna es vivere. vitam?
Non es digna mori: mors optima, & optima vita.

TArpeio quondam præsaga in culmine cornix,
Est benè non dixit, sed *benè*, dixit, *erit*.
Est benè dixerunt omnes, dum vixit *Eliza*,
Dum cessit fato, quis *benè*, dixit, erit?
Dico, *benè est*; Illi, quæ cœlum fausta petivit;
Nobis, quos faustos, magne *Iacobe*, facis.

Est benè, dum capimus terram, quam fausta reliquit,
Sed *meliùs*, quando cœlum, quod fausta recepit.

Theoph. Hyggons Mag. Art. Ædis Christi.

QVàm deflent homines, tuos, Eliza
Occasus, inopesq;, divitesq;,
Orbati dominâ suâ Britanni,
Belgæ finitimi suâ patronâ
Orbati, reliquæq; nationes,
Agrestes Satyri, domi penates,
Sylvestresq; deæ, marisq; nymphæ
Et manes patrios sapit quid vsquam;
Tam gaudent superi tuo, ô Eliza,
Ortu, Cælicolæ, tibi sibiq;
Et Musæ, Charitesq; gratulantur.
Amissam siquidem suam parentem

Mortales lachrymis dolent, repertâ
Sed gaudent superi, suâ sorore.
Æternùm statuunt tibi sepulchrum,
Quas tu plus oculis tuis amabas,
Olim dum pia vixeras, sorores,
Candor, certa fides, benigna virtus,
Atq; ardens pietas, medulla mentis,
Quæ virtus alia vndiquaq; restat
En præbet monumenta sempiterna.
Quæ, qualis fueras, loquentur ipsæ
Linguę, queis varijs sciens loquuta es,
Artes multiplices quibus nitebas,
Adversis animiq; fortitudo,
Vrbanusq; lepôs, facetiæq; ;
Quod possum canere elegantiarum
Totum illud simul abstulêre fata;
Ars, virtus, pietas, lepos, Eliza
En tecum tumulo iacent sepulta
Hæc, si vel semel interire possint.
Absit posse mori sed illa, quæ te
Æternam facerent, licet cadentem.
O invisa, nefanda, vox (cadentem)
Singultus resonantibus Britannis,
Fletus, triste metrumq; næniasq; ;
Et terræ patriæ his modis dolenti;
Æternùm valeas, Eliza, Eliza,
Quæ vixisti alijs solo caduco,
Cælo vive tibi redux perenni;
Da, cum posse frui mihi negetur
Te, vmbras & cineres tuos salutem.

Gulıel, Norris Magist. Art. Æn, Nas.

ELISABETTA:
SILET BEATA.

QVam Deus omnipotens, quam cœlum & terra fovebant,
Cœlesti requie, Diva *BEATA, SILET.*

Quam

Quam furor haud potuit rabiosi extinguere Papæ;
Nec ferus Hispanus; nec Iesuita furens.
Hostica quam nunquam potuerunt arma movere,
Nec fraus vlla domi, vis nec aperta foris.
Hæc illa est, dilecta *DEO*, Magna *ELISABETA*;
Quæ placidè occumbens, morte *BEATA SILET.*

Gabriel Pouelus Ordovix Britannus
Davidis F. ex Aulâ B. Mariæ.

In pompam funebrem divæ Elisabethæ.

Nil opus hic lacrymis ad funera cuncta locatis,
Nil opus atrati sedulitate chori;
Sponte aderunt, veras lacrymas verosq; dolores
In tua qui nimios funera, Elisa, dabunt.
Anglia, quę dulcem experta est super omnia matrē,
(Matre super reliquas terra beata suâ)
Inq; tuâ modò quæ visa est sibi, vivere vitâ
Anglia, quæ visa est te moriente mori,
Ipsa libens proprio decoraret funere funus,
Iret & in lacrymas tota soluta pias.
Gallia quin etiam ereptam lugebit Elisam,
Cuius inops toties Gallia sensit opem.
Quamq; ab avaritia tumidi protexit Iberi,
Belgia patronam defleat orba suam.
Quamq; suorum odijs, Gallorumq; abstulit armis,
Scotia quìn partes *vera* dolentis agat.
Quæq; piam semper Dominam sibi, sensit Ierne,
Materiam luctus, sit nisi cæca, videt.
Si qua & adhùc profugi tibi Lusitania Regis
Cura subit, nobis condoluisse potes.
Quosq; alibi Reges Populosve, armisq; virisq;
Iuvit, ad hos tristis turba venite rogos.
Talis in Elisæ ducatur funere *Pompa*;
Reges, & *Populi*, totaq; *Regna* fleant.

Edmund. Coles in LL. Bacc. N. C. Soc.

In obitum divæ Elisabethæ, nuper Angliæ serenissimæ Reginæ.

O vtinam foret illa mihi data lingua Deorum,
Inclyta quâ possim facta referre Deæ.
Non me Mercurius non me superaret Apollo
Rebus in ornandis, Elisabetha, tuis.
Parce tamen mihi, si summas, ter maxima, laudes
Nunc coner culpâ deterere ingenij,
Stemmata quid referã? Prognata es sanguine Regum;
Chara soror, neptis, filia Regis eras:
Quid tua commemorem studia in iuvenilibus annis,
Queis nacta es clarum nomen in ore virûm?
Non tamen hæc poterant defendere ab hoste maligno
Te, licèt in solio sederit ipsa soror;
Cuius fraude malâ nec non livore furente
Ad tetra deducta es vincula *sicut ovis.*
Sed Deus eduxit te mæsto carcere lætam;
Et nitido capiti pòst Diadema dedit.
Hoc Diadema dedit sævo nec Marte, nec arte;
Sed tibi pace dedit, sed tibi iure dedit;
Lætitiam populi summam procerumq; triumphos
Quid memorem, regno te potiente tuo?
Vnica cura fuit tibi, pandere dogma Iehôuæ;
Imbuere et populum Relligione tuum.
Fulmina nec Quinti poterant nec fulmina Sixti
Tardare hoc veræ Relligionis opus.
Non tu blanditijs, non tu terrore minaci
Sinceram poteras linquere, Eliza, fidem.
Vt tu *Semper* eras *Eadem*: sic Dogmata Christi
A te cæpta semel, semper erant eadem.
Hinc tibi cesserunt semper fælicia Regna;
Cesserunt votis cuncta secunda tuis.
Non privata tibi non vis armata nocebat;
Lædere non poterat perfidiosa manus.
Non furor Hispani, non machina subdola Papæ
Angere te potuit, tangere te potuit.
Tangere non potuit (quamvis conata frequenter)
Turba maligna domi, turba cruenta foris.

Summo

Summo chara Deo, diuino Numine mirè
Defensa es semper stans, oriens, moriens,
Illustris totum volitat tua fama per orbem;
Tu defuncta licet sis, tua fama viget.
Tu servatori soluisti pignus amoris,
Illi fundasti * tecta caduca solo.
In te servator rursus demonstrat amorem;
Hic tibi donavit tecta beata Polo.
In terris igitur fælix, & in æthere Eliza,
Viva Dei fueras, mortua iuncta Deo es.

* Collegii Iesu in Civitate Oxon. ex fundatione Elizabethæ Reginæ, sicut patet ex literis Regijs patentibus.

Griffinus Powellus primus electus socius Collegij Iesu.

FLete Deæ, Charites lugete, ululate Camænæ;
En, Regina perit, Diva, Camæna, Charis.
Hoc impune licet? si fas occumbere Diuos,
Quin Musæ, charites, Dijq; Deæq;, cadunt?
O ego cum (Princeps) in te diuina viderem
Plurima; & humanum te sapuisse super;
Cum data longæuæ meditarer tempora vitæ,
Demissam dixi cælitus esse Deam.
At nunc mortalem te agnosco invitus (Eliza)
Quam nimis infælix sentiò posse mori.
Et moreris tandem? sed non morieris (Eliza)
Nescit humo virtus inviolata tegi.
Viuent in cœlis tua numina, nomina terris,
Et meliore tui parte superstes eris.
Gallia te rebus dubijs adiuta loquetur,
Præsidijq; memor *Belgica* terra tui.
Nec non cum domito, deuictus Iberus Hiberno,
Quæ fuerat, nolens, vis tua, testis erit.
Summa sed vt belli laurus, sic pacis oliva
Iure tuum cingit dulcis Eliza caput.

Relligione tui ſtatuens fundamina Regni,
En conſtans moreris relligione ſenex.
Sed cautus ſubſiſto,tuæ quæ laudis abyſſus
Ardua, ſi pergam, qui labyrinthus erit.
Cui datur(Angligenis nec laus ea parua) *Iacobus*
Quicquid & ad laudem grande *Iacobus* habet.

Rolandus Searchfeild Theol. Bacc. Coll. D.Ioan. Bapt. Socius.

V*Iventem medicè, miſerè qui vivere* dixit,
Vix credo,vitam novit(Eliza)tuam.
Artis enim medicæ præcepta fuiſſe ſecutam,
Quâ ſemper fueras vſa, diæta docet.
At non crediderim miſeram, quæ tempora vitæ
Duxiſti omnigenis accumulata bonis.
Cuius enim ornavit cum Muſis Muſica mentem,
Et mens in ſano corpore ſana fuit,
Et caput inſigni cinctum diademate,verè
Diceris omnigenis accumulata bonis.

Ioan. Evelegbe Aulæ Cervinæ Principalis.

ERgonè,ſupremo potuit mors improba telo,
Tam ſævum tentare nefas? Et victa iacebit
Funereos inter tumulos *flos* principum Eliza?
Quæq; Arabum ſuperaret Avem,Pyliumq; ſenectâ
Inſignem triplici,& Tithonum ætate minutum?
Quin (ſcelus infandum eſt)etiam mors ſola docebit
Quantula ſunt Regũ corpuſcula? pars quota glebæ,
Non ſatis immenſi contentum limite mundi,
Pellæum teget? exuviaſq; in ceſpite condet?
Quàm ſunt ridiculi fines,quàm occaſibus inſtant
Ortus, exiguuſq; rogum & cunabula findens
Iſthmus, eôq; minor geminam qui dividit vndam.
Qualis (anhelantes, vrit quum Sirius,agros)

Tα

Torrida materies, flammam imbibitura rubentem,
Præcipites, liquidum, crines diffundit in orbem,
It cœlo clarum decus, attonitisq; notatur
Agricolis, signum præter nihil inspecturis,
Idem, cognatum, fumus nisi colligat ignem,
In breve crescit opus, moriturq; cadente Cometâ:
Talis purpureos Reges, horoscopus vrget,
Augustumq;, suos, iubar eiaculantur, in orbes,
Et speciem, vultusq; suos, volvendo recludunt,
Et subeunt oculos, iterum falluntq; cadendo,
Mox vbi deficiunt quæ tanta incendia pascant
Apta alimenta, abeunt in multam evanida noctem.
Quôq; minùs metuant lucentes deindè Cometas
Exitiale sibi iubar est, Rex quisq; Cometa.

Ioh. Budden, Iuris Civis Doct. è Coll. Beatæ Mariæ Magdalenæ.

TErminus huc rerum, meus huc me terminus vrget:
Non vltra Imperium, non Medicina movent.
Irrita Fortunæ, quamvis immensa, potestas;
Nec vaga constanti cum nece fœdus init.
Nec valuit medici, quamvis divina, facultas;
Vltima sic artem ludere fata solent.
Quam tamen arte suâ salvam non præstat Elisam,
Officio doctæ ploret Apollo lyræ.
Phœbe tuâ rogus est citharâ non dignior vllus;
Hoc Mausolæum si tibi pompa satis.
Roma Titum luget? magis Anglia luget Elisam.
Hic amor orbis, at hæc orbis amoris erat.
Rex pro Reginâ, proceres, vir Virgine clamant:
Annuit, & Populo nupta fit atq; Deo. Verba ipsius Elisæ iam iuvenis.
Vitam nec nimiam, nec parcam duxerat ævi;
Quæ vixit plusquam fœmina, maior obit.
Pœne quidem decies septem transegerat annos;
Sed dolor & pietas vix numerare sinunt.
Fecerat illa satis famæ, pietatis amore;
Ævo naturæ; Relligione Deo.

Mor-

Mortua tam placide quàm vixerat Illa, quieta
Vita colendo Deum, mors patiendo fuit.
Bello magna, domi mitis, prudensq; senatu,
Casta thoro, solio iusta, beata nece.
Regia sacra dabunt proceres, lectusq; senatus,
Exequias faciet Virgineusq; chorus.
Si fatum redimi fato potuisset Elisæ
Constaret multa morte redempta salus.
Sin vitam populi votum superaverit; ætas
Regis compenset, quo rediviva viget.
Distribuat populis Rex vnus iura duobus;
Et vitæ spatium duplicis vnus agat.
Solus eris Solomon, Austri regina recessit,
Et fidâ princeps gente fruere pius.
Non careas medicis, egeas minus, inclyte Princeps;
Ponitur in Regis tota salute salus.
Hanc foveas, reliquis Rex instructissimus, artem;
Sic tamen, vt medicâ sis sine, salvus, ope.

Guil. Paddeius Ioannensis Medicinæ Doctor.

QVid lachrymæ & luctus Reginæ in funere Elizæ
Effusi faciunt, tristesq; ad pectora planctus?
Nulla dies illi melior, post limina vitæ
Calcata affulsit, quam quâ contagia mundi
Excutiens, liquidi petijt commercia Cœli.
Nam quid in hac vita gratum atq; optabile cuiquã
Felicive homini, Regive obtingere magno
Magnificoq; potest, quo non cum laude perenni
Illa potita fuit, peregrè præclara domiq; ?
Reppulit hostiles insultus; sæpe regessit
In caput authorum, quicquid furialis Iberus
Excudit vecors, totiesq; rebellis Hybernus.
Si quid ab occulta concoctum est arte veneni
Siqua manus tetris armatur perfida sicis
Si quæ sint Magicis conflata & ficta susurris
Siqua coit junctis fera, coniuratio dextris:
Omnia sunt primo molimine cognita, miris

Et patefacta modis, legumq; coercita pœnis.
Relligio, pietas, virtus, & summa bonorum
Ornamenta hominum, nunquam magis inclyta; nulli
Sunt exculta magis. Decus Hæc & gratia dignis,
Perfugiumq; bonis, miseris spes, portus amicis,
Mitis, amans, facilis, tractabilis, æqua, benigna,
Larga manu, syncera fide, placidissima corde,
Mente sagax, studijs prudens, animoq; virilis.
Provida venturi, nimium nec læta secundis
Nec depressa malis, fortunâ fortis vtraq;
Chara suis, paciq; studens opibusq; suorum,
Quos viva & moriens, se, & successore beavit;
Iura colens, Iurisq; tenens, iustissima, normam.
Cætera quæ non sunt memorata in carmine nostro
Indus, Arabs, Afer, Seres, atq; vltima terræ
Non invita sciunt, invita nec vltima Ponti.
Morte igitur vitâq; & successore, suisq;
Tot tantisq; bonis fœlix Regina, quid vltra
Quærere debebat, non novit; mensaq; vitæ
Tam brevis est spatio, quicquid mortale petendum
Autumat, atq; stetit fortunæ in culmine summo.
Hocq; gradu maneat sæclis memoranda futuris,
Exemplarq; probi; donec præstantior alter
(Quisquis is est tandem gratus cœloq; Deoq;)
Præripiet tantam (sed non sine Numine) Palmam.
Quod tamen, aut nullis, aut Regibus accidat Anglis;
Siq; aliquam, nostram maneant ea præmia gentem.

Tho. Dochen Doct. Med.

QVæ Phœnix ævi, quæ sexus gemma fuisti,
Gentis honor, Generis gloria summa tui,
In titulos, Regina, tuos quàm plurima vellem!
Quàm vix me sinit hæc scribere pauca dolor?
Te vivam & Iuvenem, Regno, virtute, decore,
Tres cecini Phrigias exuperasse Deas,
Te nunc defunctam dijs omnibus, atq; deabus
Præfero, quos, vel quas prodiga Roma parit,

 Cuius

Cuius sancta fides animosâ morte relucet,
Dum vitam sequitur mors celebranda piam.
Sed quia sanguineos frænavit lege Papistas,
Dicta (sed immeritò) sanguinolenta fuit.
Illius at regno, breue regnum, & triste sororis
Confer, & inuenies qualis Eliza fuit.
Talis Eliza fuit, qualem vix viderat ætas
Vlla prior, vel erit pòst habitura parem.
Quicquid in adversum mendax Iesuita susurrat,
Romuleis iusto mitior illa fuit.
Quorum quæ insidias repetet, studiumq; rebelle,
Et coniuratas in pia sceptra minas,
Illorum *veniens* rabiem dum conspicit *ætas*
Asseret, *hijs nimium mitis Elisa fuit.*
Gens inimica bonis, regnis infesta quietis,
Dic nunc Reginæ quid tibi morte venit?
Illa abijt: subijt regno successor avito,
Qui zelo tribulos vlteriore metet.
Optima, chara Deo, mundo prærepta maligno,
Tuta nitet celso virgo recepta sinu.
I nunc Elizæ finem, cum fine Philippi
Confer, in vtroq; & facta revolue Dei:
Non est in cineres mihi mens sæuire sepultos,
Hoc satis: hæc vitâ, & morte beata fuit.
Illius & viuax resonabit gloria nomen,
Æternâ dignum posteritate coli.
Cui licet hinc Dominus regnum terrestre negavit,
In cœlis regno dat potiore frui.
Sic ego, sic tandem iustorum morte peremptus
Curriculi absoluam puncta suprema mei.

Henricus Bust Med.
Doctor

ROtta è l'alta colonna, che sostegno
Gran tempo al mondo fu d'imperio santo.
Tolto è d'Anglia infelice il pregio, e il manto
Di fortunato, e glorioso regno.

ELISA è morta, il piu grande, il piu degno
Rettor del mondo: che superbi tanto
Pauentauano afflitti, afflitti quanto
Hebbeno di salute altero pegno.
Lasso, e non piange il mondo, e gl' occhi, e i cuori
Non si disfanno in pianto? Ahi piange, piange
Tua santa chiesa, o DIO, dogliosa, e mesta.
Piange la chiesa i suoi perduti honori.
Ahi ciascun geme, ognun s' affl ge, & ange.
Ahi, Gentil prendi sconsolata uesta.

Doct. Alberico
Gentile.

קינה ליומיה.

LAmentare Sion, Solymarumq; incola tristis,
Pullatum querulis æthera rumpe modis:
Nempe tuus requievit honos tellure repôstus,
Et cecidit capitis pulchra corolla tui.
Aspexere tuam modò Gentes vndiq; formam
Vixq; oculi tantum sustinuere decus:
Nunc rident, quassantq; caput, quæruntq; iocantes:
Nunc vbinam facies? nunc vbi forma tua est?
Nostrane sic læsum peccata incendere numen?
Nostranè sic poterat culpa movere deum?
In nos iratas vt tenderet ille sagittas,
Et fieret populi non memor ipse sui?
Vt quem (ceu dextri pupillam nuper ocelli,
Aut super ornatas, aurea signa, manus)
Sub proprijs tutum semper servaverat alis,
Gentibus in prædam, ludibriumq; daret?
Quin igitur lachryma viduatæ filia Iudæ,
Et penetra luctu marmora dura tuo:
Quin tua circundet iam-turpia corpora saccus,
squalleat & multo pulvere nigra cutis.
At vos interea, (Domini qui statis ad aras
Et datis irato thura precesq; Deo)

Iam lachrymis vestras repleri hoc tempus acerras,
Et timido fundi postulat ore preces;
Vt, Deborah quamvis saxo tumulata tenaci
Cum patribus longùm dormiat ista suis;
Davides aliquis solio consurgat avito,
Et ferat invictâ Regia sceptra manu:
Hic sua restituat mœstæ ornamenta Sioni,
Æternùm Solymas nec lachrymare sinat.

Guliel. Thorne in sac. Theol. doct. & Hebr. Linguæ Profess. Regius.

ANglia mœsta gemis? quin squallida tota liquescas
In gemitus; lachrymis vescere tota pijs.
Occubuit mundi splendor, iustissima princeps:
Virgo potens armis, pace potensq; pia.
Quæ te lacte suo nutrix, Ecclesia, fovit,
Occubuit, columen publica Resq; tuum.
Corporis atq; animi donis ditissima princeps
Occubuit, nulli virgo secunda viro.
Percussit toties quam bruto fulmine Papa;
Quam vi, quam voluit tollere mille dolis:
Hanc annis saturam, summa quoq; pace fruentem
E regno in regnum transtulit ipse deus.
Reginæ tantæ decores nunc funera fletu
Anglia, nunc vestes indue mæsta nigras.
Magno, sed sancto celebres hæc funera fletu:
Mam pro terrenis coelica regna tenet.
Chara deo, populoq; tuo Regina superstes,
Chara deo, viuas mortua, sceptra tenens.

Henricus Airay Theol. Doct. Col. Reginæ Præpositus.

ERgonè funeribus mors iungens funera, Elizam
Abstulit? innumeri quin periere magis?
Occidit! & tantæ quæris miracula mentis?
En Auster, Boreas, China, Quivira, sciunt:

Quis

Quæ vel mirari, laudes ſuperantia vatum,
 Nemo tacendo ſatis, nemo canendo poteſt.
Ergo nec immeritò amiſſam ploramus, inundans
 Oceanus lachrymis vndiq; miſcet aquas:
Ergo delicias noſtras lugemus ademptas,
 Et populus, Proceres, Pieriuſq; chorus:
Tuq; Aſtrea, decus terrarum, nunc decus Aulę
 Æthereæ, æterno perfruitura Deo,
Diva vale; dum nos et ineluctabilis angor
 Torquet, & ad cœlos acceleramus iter.

Thomas Singleton Theol. Doct.
Colleg. Æneaſ. Principalis.

In obitum doctiſſ. potentiſſ. & ſanctiſſ.
Principis Eliſabethæ.

QVid pręter ſolitum mihi lingua volubilis hęret,
 Officiumq; mihi denegat illa ſuum?
An quia præ nimio vox interrupta dolore
 Quâ cupit, et ſolitâ deſtitit ire via?
An quia Reginæ laudes dictura tremiſcit,
 Materiâ vires exuperante meas?
Scilicet hoc certe: nam quæ facundia tanta eſt,
 Aut quæ tam pleno carmine muſa potens!
Audeat vt tanto ſeſe immiſcere labori,
 Impoſitumq; humeris non vereatur onus.
Nam Charites, Muſæ, Pallaſq;, & magna Tonantis
 Sive ea ſit coniux, ſive ſit illa ſoror,
Et Venus, & Phœbe, & ſanctiſſima nomina ſexus
 Fęminei, & ſuperum nobilitata cohors,
Vix omnes vnam complebunt Eliſabetham;
 Nam quæ aderant alijs ſingula, cuncta tulit.
Pallada doctrinâ, Venerem formâ, at q; ſororem
 Maieſtate putes exuperare Iovis.
Artibus, ingenio, linguarum cognitione
 Multiplici, & toto fonte Heliconiadum

Ipsas Pegasidas longe superavit, & alto
Parnassi, ante alias, vertice, summa stetit.
Quid, quòd fœmineo in sexu nec mascula virtus
Defuit, & sevum Martis agebat opus.
Contudit Hispanos, disiectosq; æquore toto,
(Quâ refluis vndis labitur alma Thetis)
Aut victos bello cepit, captivaq; duxit
Agmina, victrici non peritura manu:
Aut ferro & flamma vastavit, & omnia latè
Imperio fecit regna subesse suo:
Huic captæ Gades flammisq; absumpta Corunna,
Portæq; incensæ magna Olysippo tuæ.
Quid, quòd & Americam latè victricibus armis
Fœmineo docuit subdere colla iugo.
Vicinosq; omnes oppressos fraude tyrannûm
Armatâ salvos præstitit illa manu.
Atq; ita Bellonæ similis mavortia virgo
Præclarum toto nomen in orbe tulit.
Nec tamen armorum quàm veræ relligionis
Laudibus increvit sancta virago magis.
Hac namq; à teneris flammatum pectus habebat,
Huic soli studuit virgo dicata Deo.
Hanc propter varijs est tempestatibus acta,
Obrueratq; eius pæne procella caput.
Vt vero optatas rerum tractavit habenas
Gestavitq; suâ sceptra Britanna manu:
Impia Romani submovit dogmata Papæ
Et quicquid falsæ relligionis erat.
Sinceramq; fidem de sacro fonte petitam
Sedibus apposuit restituitq; suis.
Non voces, non illa minas, non arma morata est,
Nec quod Tarpeiâ fulmen ab arce venit.
Sed semel acceptæ fidei constanter adhæsit
Inq; illâ extremum mansit ad vsq; diem.
Cætera quid memorem? sunt infinita, nec vllus
Omnia pro meritis dicere sufficiat
Quod superest igitur te nunc lugemus ademptam,
O virgo summis annumeranda viris.

Te canimus, laudesq; tuas: & nomen Elizæ
Carminibus nostris perpetuare iuvat.

Georgius Rives Sacræ Theolog. Doctor,
Novi Colleg. Custos.

In obitum lectissimæ atq; omni genere virtutis instructissimæ Principis Elisabethæ, Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginæ multò augustissimæ.

INfandum pia Musa potes vulgare dolorem?
Non cadit in lachrymas tanta querela tuas.
Si tamen effari fas est, quæ causa doloris;
Fœmina sub lapide est, quæ fuit antè * Dea. * Psal. 82.6.

O quàm regales vultus; quàm affabile pectus?
Quàm verè augustâ fronte, serena quies?
Quàm dite ingenium numerosâ Palladis arte?
Quàm plena Hermetis munere lingua fuit?
Plura, quid? in gestu, cantu, motuq; cibisq; Eccl. 10.17.
Regia Maiestas, Gratia suavis inest.

ADde, quod instaurat Genitor; quod Frater adornat;
Quod quinquennali dissipat igne Soror:
Illud Evangelium Iove plena reduxit Eliza;
Illud inoffenso est, Christe, professa pede.
Orbe reluctanti; Papâ frendente; minante
Hispano, est verbum, Christe, professa tuum.
Adde; benigna suas vtrasq; beavit Athenas; Anno Reg. 13.14.18.
Nec passa est humili Musam habitare casâ.
Adde, *eadem semper*, leges servavit easdem;
Nec potuit senior facta probare Novas.

INdè, reportat ovans terrâq; mari-q; triumphos,
Nec valet in mortem Vis; Aconita; Dolus.
Indè, frequens alijs vênit Legatus ab oris;
Miraturq; suos, huius in ore, sonos.

Indè

Inde, Decus mundi, muliebris Gloria Sexus,
Exemplum seræ posteritatis erit.

Hæc fuit Anglorum verissima gloria: qualis,
*Iacobus 1. Nulla futura Dea est, sed * Deus vnus erit.

AVrea tunc ætas, verè Saturnia secla;
Halcyonis verè vidimus isse dies.
*An. 1588. Quos sensere alij, vix nos vel * vidimus hostes,
Nulla domi audita est; & tuba rara foris.
Pax, aditu: medio, pax: & pax, fine: Capessit,
Seruat, Deponit Regna, quiete, sua.

ET mortalis eras, quæ tanta, & talis, Eliza?
Ergo immortalis fœmina nulla: scio.

IVlius in stellam, Brute ingratissime, versus;
Est Deus in cœlis, Cæsar in orbe prius.
Nec minor Elliza est. nam quæ disparuit istic
Stella cadens; illic splendida fixa manet.

IVlius in cœlo Deus est, qui Cæsar in orbe?
Brute, Hominem occidis, sed facis esse Deum.
Terris stella cadens, in cœlis splendet Eliza?
Reginam occidens, Mors, facis esse Deam.

Ergo, quid in tumulo? *Tumulus* nã corpora, mentis
Nil nisi divinæ viva sepulchra, voco.
Fœlix hoc corpus, quod mentis tale sepulchrum;
Fœlix terra, huius corporis vrna brevis.

Ἀποστροφὴ ad Invidiam.

PAsceris in vivis, Livor. Post fata quiesce.
Est maior, quàm cui dente nocere potes.

Thomas Rauis, Ecclesiæ Cathedr. Christi Oxon. Decanus.

Ad Elizam.

SI quid Eliza vacant & adhuc tua funera fleri,
(Copia nam luctus extitit ampla tui)
En ego quos Elegos, quæ suspirantia fundo
Carmina, quas lachrymas, qualia Iusta fero:
Nec mea, sera licèt, tam tristia Iusta recuses,
Sæpe solet serus serius esse dolor.

Ad Elizam:

CVra coquens sero loquitur, lachrymosus & imber
Tardigradis miseri fletibus ora rigat:
Parua per ora volat cita, garrula cura: sed ingens
Alta sedet, vocem vincit, & ora fugit.
Hinc & Eliza venit tibi nænia sera, quòd alto
Fixus corde sedet, non volat ore dolor.
Qui cito, voce tenus, dolet, haud dolet ille; sed imo
Pectore, tam sero qui dolet, ille dolet.
Serus & iste dolor sero mansurus in ævo
Vivet, cum subitò cura suborta, cadet.

Ad Anglos Nænia.

NVnc est dolendum, pectora nunc manu
Pulsanda tristi, nunc lachrymabili
Fœdare lugubres ocellos
Tempus erat gemitu, Britanni.
Pernevit annos, Elisabeth, tuos
Clotho malignans, & scidit Atropos:
Hæc fata nobis & ruinam,
Funus & imperio pararunt.
Tristem memento his rebus in asperis
Servare mentem victa Britannia,
A gestienti temperato
Lætitiâ, peritura tellus,
Indigna post tam funera, post necem,
Et fata Elizæ, quam precor, impotens

Sperare fortunam, Britanne,
Cernere vel poteris salutem ?
Fatis sed omnes cogimur, omnium
Mors instat; horæ ceu fugiunt citę,
Sic vita festinat per annos
Exilium subitura longos.
Hanc si dolores reddere, vel preces
Vel vota possent, viueret integra.
Sed pensa, fusus, & sororum
Fila trium nequeunt reuerti.
Regina cedas imperio, throno,
Tectis & altis, quę Thamisis lavat
Cedas, sed extructas in altum
Divitias capiat Iacobus.
Et regna serus possideat, diu
Intersit Anglis, tardus ad arduum
Cœlum remigret, nec Britannis
Hunc adimat facinus Britannûm;
Magnos triumphos ducat, & Anglię
Princeps vocari gaudeat, & pater;
Papæ nec expectet venenum,
Nec ferat Italicos furores.

ADesse summum semper expectes diem;
Fusū Sorores explicant, pensum trahunt,
Et Parca semper vna de ternis necat.
Fatalis hora scribitur, & ætas fugax
Volat, vt sagitta missa Phœbeâ manu:
Nec vis Puellas vlla lanificas mouet.
At ô Deorum quisquis in fata imperas,
Quid immerentes, integras agnas rapis?
Et tot nocentes, impios mittis lupos?
O parce sanctis, nostra quos ætas (malis
Fæcunda) nigro rariùs cygno tulit.
Vitiosiores tolle: pravorum gemens
Succumbit oneri terra; ne vitient bonos,
Graviore terram pondere malorum leua.
Tamen ab iniqua lege Parcarum, diù

Vivere negatur integris: manes vorant,
Et auara rectum fata corripiunt virum.
Hinc mors Elizam mersit,& subitâ colo
Pernevit illi Lachesis extremum diem.
At nox tenebit atra? perpetuus sopor
Obruet Elizam? vitia Brutigenûm nefas
Meruere tantum? Castitas, Verum,Pudor,
Iustitia,Pietas, quando repperient parem?
Durum. Sed illud ferre patienter decet,
Corrigere quicquid genere mortali nefas.

Anglia de regimine Elizæ
& Iacobi.

DOnec fœmineum decus
Elizam, proavis regibus editam
Aspexi,populo potens,
Vel Româ vigui clarior, Anglia.
Regem nacta sed inclytum
Iacobum, proavis regibus editum,
Accessu populi novi
Cunctis emineo gentibus altior.
Elizâ mihi sospite
Pax dulcis,requies,almaq; faustitas
Florebant; mala bellica
Nam nostris pepulit diva penatibus:
Et dum sospes erit mihi
Iacobus, (Deus hunc det mihi sospitem
Ævis perpetuis) colet
Pax agros,reprimet Mars ferus impetum.
O sed quæ tibi præmia?
Quod,Regina, decus pro meritis feram?
Et quæ Rex tibi munera,
Quas grates referam,quam tibi gloriam?
Istis pro meritis Deus
Dat Regina tibi sidereas domus
Et Rex magne tibi dabit
Tantis pro meritis sidera serius.

De morbi genere quo
Eliza interijt.

VT memorant, Regina, tuus per guttura morbus
Ivit, Cecropio sedit & ore dolor,
O durum lethi genus, atram flectere mortem
Quæ toties vitam vox dedit, illa nequit?
Sed vocis festinat iter mors claudere, docta
Ne posset duram lingua movere necem.

Academia Oxoniensis ad
Elizam defunctam.

SI mihi Praxitelis manus, excultæve Myronis
Artes, si docti dextera docta Scopæ,
Si vel Mentoreos poteram superare labores,
Reddere Phidiaci siue toreuma poli,
Quas ô Eliza tibi statuas? quæ templa? quot aras?
Et quantum instruerem divitis artis opus?
Sed quoniam nec docta manus, nec ditia fata,
Hoc opus ingenij dulcis Eliza cape.
Ipsa per hoc fugies ingrata silentia Lethes,
Ipsa per hoc victâ morte superstes eris.
Marmora rodit edax ætas, annosa vetustas;
Findit ebur, statuas temporis ira terit:
Secula carminibus sed donant Secula, sola.
Hæc monimenta feræ nescia mortis erunt.

Academia Oxoniensis
ad lectorem.

LVgubre dum raptæ defletur funus Elizæ,
Et canitur Coæ nænia mæsta senis,
Castalios ibam latices, et culmina Pindi,
Quò mea Pierius tingeret ora liquor,
Et te Phœbe precabar opem, quo numinē plena,
Mens mea luctisonos funderet ægra modos,

Sed mihi Melpomene nec planctus præcipit, ullam
  Nec phœbus miseris cantibus addit opem.
Ergo nec ille nec illa dedit mihi carminis artem,
  Sed novus ingenio fio poeta meo.
Imo Phœbus enim suspirans corde, sororem
  Inquit, in hac Diva luget Apollo suam.
Et Charitem spectans quæ stabat proxima Musis,
  O quantum, dixit, Gratia vulnus habes.
Vulnus & Euterpe quantum, Polyhymnia quantum?
  Et tu Calliope quam grave vulnus habes?
Pallas & ipsa (sacris nam Musis abfuit ipsa)
  Qualia proh, dixit, vulnera Pallas habes?
Phœbus, Musa, Charis, Pallas, cum funus Elizæ,
  Plangant, quale putas vulnus Eliza dedit?
Tale dedit, quali Clarius fons aret, Apollo
  Languet, Pieridum turba novena stupet.
Si damus ergo modos Musis nec Apolline dignos
  Et quos Pegaseo fonte carere scias,
Nil mirum; nam triste gemunt dum funus, iniquus
  His & Apollo fuit, Musa nec æqua fuit.

Ad Iacobum & Elizam.

VIx ea grata venit, quæ mixta dolore voluptas:
  Et dolor exultans, desinit esse dolor.
Ergo tibi dedimus puros Rex magne triumphos,
  Nunc & Eliza tibi funera pura damus.
Qui simul & dolet, & gaudet, lætante dolore
  Nec satis hic gaudet, nec satis ille dolet.

Ad librum.

QVod gestare solet te plebs, cum plebe senatus,
  Quod te densa manus, quod sinus omnis habet,
Quod Procerum sis multus amor, quod Regia cura,
  Ne nimium placeas tu tibi mœste liber.
Delectas namq; ipse parum, sed amaris abundè,
  Hoc & Eliza dedit, quicquid amoris habes.

Funere nullus erit qui delectatur Elizæ,
Has tamen exequias funeris, omnis amat.

Ad Librum & Elizam.

GRata licet toties des carmina, parve libelle,
Quælibet & meritâ pagina laude sonet:
Diligeris populo non propter carmen; Eliza,
Propter te populus flebile carmen amat.

In funere celebrando lachrymæ & laudes veteri lege observatæ. Naz.
*Pro 10.8.
*Ecc. 22.10

SAtis est dolorum, mœsta Melpomene sile:
Lachrymas Eliza dedimus, & *laudes* tibi,
Decorare sola triste quæ funus solent.
Extulimus altum, laude sed tenui, decus,
Memoria * iusti, laude quòd vivat sua.
Funus & amarum flevimus; viui mala
* Quòd acerba passi, morte sublatos gemant.
Hoc ergo superest, *laude* tu viues tua,
Longamq; nostris *lachrymis* vitam dabis.

Io. Howsonus Vicecancel. Oxon. Sac. Theol. Doctor & Prebendarius Ædis Christi.

FINIS.



[illegible] &